

DE ARTE GRAMMATICA RUFI FESTI AVIENI.

COMMENTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

LITTERARUM UNIVERSITATE REGIA

MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT


HENRICUS KUEHNE

RHENANUS.

ESSEN.

EX TYPOGRAPHIA FREDEBEULIANA ET KOENENIANA

MDCCCCV.



RETTULIT DE COMMENTATIONE PROFESSOR Dr. SONNENBURG.

DIS MANIBUS PETRI LANGENI.

Prooemium.

Qui studia grammatica linguae latinae persequitur, quantum opera virorum doctorum et in syntaxi cognoscenda et in illustrando dicendi genere singulorum scriptorum proximis annis profecerint, non ignorat. Nam verum esse, quod contendimus, magno numero librorum partim ad syntaxin historicam linguae latinae, partim ad syntaxin scriptorum singulorum pertinentium, quem Schmalzius in libro, qui „Lateinische Grammatik von Dr. Friedr. Stolz und J. H. Schmalz" inscribitur, (cfr. pag. 202 – 213) attulit, satis demonstratur. Mihi igitur, qui illorum virorum studiis semper delectarer, labor non inutilis videbatur esse in syntaxin Rufi Festi Avieni inquirendo aliquid frustuli conferre ad illustrandam huius poetae elocutionem, praesertim cum consilio et auctoritate Petri Langeni, viri optime de me meriti, hunc laborem suscepissem. Atque si in mentem revocamus, quo modo lingua latina adoleverit et ad quem exitum pervenerit, (cfr. Schmalz l. c. p. 197 – 200) mirum esse non potest, quod in carminibus Avieni purus sermo non invenitur, immo eius elocutio et quae aetatis poetae sunt propria, et quae a scriptoribus atque poetis prioris aetatis sumpta sunt, habet. Atque cum Avienus res et argumenta carminum ex graecis plerumque fontibus repeteret, eam rem in ipsam elocutionem eius vim habuisse consentaneum est.

Nerei, III 540 prorepentis qua sunt vada turgida Nerei, III 297 Ecce alias lento prorepit gurgite Nereus, III 501 fuso Bacchus tegit arva flagello, III 919 Ignorant flavae Cereris commercia, II 516/17 in tenui quamquam primordia Phoeben Orbe habeant, II 1326/27 Phoebe in cornua surgit Tenuia etc., lux=dies IV 180, sol=dies IV 222 etc. (Illa significatio iam apud Catullum invenitur.)

Aeque ac Vergilius, quem praeter Lucretium, Ovidium, Horatium maxime imitandum sibi proposuerat, Avienus obsoletis verborum formis vel vocabulis priscis delectatur. Eiusmodi formae hae occurrunt: ast, duellum, olle, versarier, ducier, mentirier, quis (plur. dat. masc. pron. relat. III 304, dat. fem. II 844, abl. fem. IV 514), sanguen III 921, renidesco (Lucret. 2, 328), perpes=perpetuus (ap. Plaut. et Pacuv.), momen=momentum (ap. Lucret.), mage=magis (ap. Plaut. et Vergil.), cascus (cfr. Enn. apud Cic. Tuscul. 1, 12, 27. Varr. L. L. 7, 3, 86) protelare=expellere II 1125 (cfr. Sisenn. apud Non. 363,2 363,18, Turpil. ap. Non. 363,15, Ter. Phorm. 1, 4, 36.)

Praeterea permulta vocabula significatione inusitatiore vel poetarum solum propria scripsit. Maxime notabilia videntur haec: „caespes“ i. q. est terra aut solum II 1416, 1441, 1825, III 39, IV 132 etc., glaeba=terra III 23, 477, 482, IV 56 etc., spiritus=vita IV 10, 488, V 7, semita=via sive iter IV 180/81 si quis ad nostrum mare Malacaeque portum semitam tetenderit, classis=navis IV 368, II 1393 (cfr. Verg. Aen. 6, 334) modus=terminus IV 341, III 36,=quaevis quantitas vel extensio IV 313, 338, III 40, 402 etc., aequora=undae, II 420 vaga caeruleas involvant aequora puppes, III 243/44 Ore patulo Maeotidis alta paludis Aequora prorumpunt, III 185 etc., marmora=undae sive fluctus III 247 vaga glauci marmora ponti, densata sali marmora, III 57, 171, II 1474 etc. (eadem significatio

apud Vergilium invenitur), flumen vel flumina=aquae fluentes III 334/35 pinguia Nili flumina, 366, 570 etc., vada=aquae sive fluctus II 307 glauci vada turgida ponti, 918, 1237, III 120 etc., gurges=aqua II 494 nullo manaret gurges hiatu etc. Significationes aliae pro aqua usurpatae sunt hae: latex (cfr. Lucret. III 1009 etc.) liquor, lymfa, humor III 58 nunquam ruit effluus humor, IV 121 etc. Variis quoque vocabulis Avienus utitur ad significandum mare: altum, profundum, sal, salum, oceanus, pelagus, pontus, gurges III 59 „mortuus hic Graio perhibetur gurges in usu, II 751 Auritum primis emittit gurges ab undis, III 219 etc. marmor: II 644, 1155, III 836, IV 70, 190. — „Agmen" sive agmina Avienus usurpat ad significandam rem extensam atque mobilem. Idem igitur e. g. est, quod fluctus sive undae, cfr. III 572 celeri secat agmine terras, 756, 911, 1071 etc., III 125, 341, 877, II 1315, IV 211 etc. Praeterea illud vocabulum Avienus Vergilii morem secutus de corpore ingenti hydrae et scorpii habet: II 845 venenatae agmine caudae, 891 ingenti sese agmine porrigit hydra, 1089, 1212/13 postremi agminis hydra Erigitur caudam etc. Denique illud vocabulum idem significat quod gentes: III 1139 muta sed degunt agmina fama. 749.

Nonnulla composita Avienus primus formavisse et in linguam latinam introduxisse videtur: belligerator, chauricrepus, circumlatror, congradus, dumicola, fluctigenus, frugiparus, insaturatus, insubiectus, latipes, luciparens, mollicomus, monstrigenus, paludivagus, pinifertus, sagittiger, serenifer, subvector, viticomus.

Avieni aetatis propria haec vocabula videntur esse: cetosus, clunalis, competens=conveniens (competente nomine IV 698) crepulus, dissigno, flammicomus (invenitur etiam apud Avieni aequalem Prud. Psychom. 775), floricomus (invenitur etiam apud Avieni aequalem Aus. Ep. 4, 94)

gentici=gentes, inefficaciter, interminus (etiam intimatio, intimatus, medicator, notialis, obstac Prud.), protelatus=productus III 487, protractu recavus (ap. Prud.), sternax=procumbens III 203 (ap. Prud.)

Plurima in Avieni carminibus vocabula in quae a prioribus poetis vel scriptoribus mut Ex illa copia ea tantum, quae notabiliora vide elegi: circumlatro (ap. Sen. Cons. adv. M circumsonus vi passiva usurp. (cfr. „Thisb circumsona" Stat.) circumtonare (cfr. Ovid. circumtonat orbem") circumversari (ap. circumvolitare (ap. Vergil.) circumvolvi (comans (ap. Verg.) convallis (ap. Cicer.) C scil. ursa (ap. Ovid.) dispesco (ap. Plin.) dis (Cic. Arat. 94) fluctivagus (ap. Stat.) ig (ap. Vergil.) ilicet=statim II 340 (cfr. Vergil. muros tota discurritur urbe) imbrifer (ap inculpabilis (ap. Solin.) inocciduus (ap. Claudian.) impacatus (ap. Vergil.) iugales=equi pulati (ap. Verg.) lanatus (ap. Ovid.) laur Ovid.) longaevus (ap. Vergil.) malesuadus (a montivagus (ap. Lucret.) nimbifer (ap. Ovid luca=luna (Hor. Od. 4, 6, 38) noctivagus (omniparens (ap. Lucret). ostrifer (ap. Ver furo (ap. Lucret. et Vergil.) pervigil (ap. Ovid.) (ap. Vergil.) raucisonus (ap. Lucret. et Cat.) r (Stat. Silv. 4, 1, 11) roborare (ap. Lucret.) s (ap. Verg. et Ovid.) semesus (ap. Hor.) sonip (Cat. 63, 41 et ap. Verg.) stelliger (ap. Stat.) t (ap. Verg. et Ovid.) turicremus (ap. Vergil. velivolus (ap. Verg. et Ovid.) vitifer (Sil Pallad. 3, 13, 2) uligo (ap. Vergil.) umbr Vergil.) undicola (Varr. ap. Non.) undosus (a vulnificus (ap. Vergil.)

Nominum verbalium, quae syllabis tor et trix formantur, quorum usus apud posteriores scriptores magis magisque percrebuit (cfr. Lat. Gram. von Stolz u. Schmalz p. 433) apud Avienum magna copia occurrit: altor II 29, auctor II 20 etc., altrix II 121, aurigator II 405, arator II 1799 etc., belligerator III 55, bellator, II 1145, circumlatrator IV 391, conditor, cultor dator II 1010, ductor III 1184, expressor, genitor, genitrix, incentor II 1 etc., inrigator IV 393, lector III 260, medicator II 216, monitor II 1495, moderator, nutrix, patrator II 20, pistrix II 775 etc., portitor II 211, possessor I 25, praeceptor, raptor II 107, rector II 787, reparator II 166, repertor II 222 etc., sator III 1309, sulcator III 587, subvector III 199.

Adiectiva in syllabam „ax" exeuntia haec inveni: capax, edax, efficax, ferax, fugax, minax, rapax, sequax, sternax, tenax, vivax, vorax.

Ne illum dicendi usum silentio praetermisisse videar, hoc loco commemoro Avienum, ut poetam aetatis posterioris, verba intensiva sive frequentativa usurpare solere.

Neque minus Avienus vocabulis, quorum magnus numerus iam antea in linguam latinam receptus erat, e lingua graeca promptis delectatur. Eiusmodi vocabula haec occurrunt: acta, actaeus, adamas, adamanteus, (etiam ap. Ovid.) adytum (ap. Lucret. et Verg.) aer, aether, aethra, arctos, barathrum, boreas, carbasa, cassiterum, cerastus, cetus, chalybs, chaos, chelae, chelydrus (ap. Vergil.) chelys, chorda, chorea (ap. Vergil.) chorus, coma, concha, conus, corallum, crater, crystallum, cumba, cupressus, cycnus, Cynosuris, eous, ephebus, eritheus, eurus, faselus, gyrus, hymenaeus, ladanum, lampas, lembus, mysticus, narcissites, nectar, oestrus, Ophiuchus, orchilos, orgia, pharetra, physeter, plaga (*πλᾶγος*) plectrum, procyon, prora, rhombus, scorpios, sipara (*σίπαρος* vel

σίφαρος) taurus, thalamus, thyrsus, torno=*τορνεύω*, zephyrus, zona.

Denique observandum est Avienum vocabula graeca declinatione graeca saepe immutavisse. Inveniuntur nom. sing.: orchilos, scorpios. — gen. sing.: Helices, Panopes, Doridos, lampados, Perseos, Tethyos, Zephyridos. — acc. sing.: Acesinen, Aeetinen, Amphitriten, Amphitryoniaden, borean, Hippocrenen, Jasiden, narcessiten, Parthenopen, Phoeben, Sinopen, arcton, adamanta, aera, aethera, Agonida. Babylona, Castora, Cepheida, Chephea, chelyn, cratera, Geryona, lampada, Oriona, Persea, Phaetonta, Tethyn, Tyrin. — gen. plur.: Byzeron — acc. plur.: Aonas, Arabas, Aribas, Arimaspas, Cilicas, Cinetas, Erembas, physeteras.

Sed haec hactenus. Jam ad syntaxin illustrandam accedamus. Ad commentationem autem componendam duces mihi fuerunt: A. Draeger, Historische Syntax der lat. Sprache. Ed. II. R. Kühner, Ausführliche Grammatik der lat. Sprache. Hannov. 1878. Reisig, Vorlesungen über lat. Sprachwissenschaft mit den Anmerkungen von Fr. Haase neubearbeitet von J. H. Schmalz und G. Landgraf. Berol. 1884—1888. Hand, Tursellinus. F. W. Holtze, Syntaxis Lucretianae lineamenta. Lips. 1868 J.' Streifinger, de syntaxi Tibulliana. diss. Wirzeb. 1881. Blaum, Eine Abhandlung über Valerius Maximus. Argentor. 1876. E. Norden, P. Vergil. Maro Aeneis Buch VI. Lips. 1903 K. Sittl, Die lokalen Verschiedenheiten der lat. Sprache mit besonderer Berücksichtiguug des afrik. Lateins. Erlang. 1882. In afferendis versibus secutus sum editionem A. Holderi, Ad. Aeni Pontem 1887, quam contuli cum Breysigii editione Arateorum Lipsiae 1882. Nonnunquam Avieni „Descriptionem terrae" contuli cum Dionysii Periegesi, quae in volumine secundo collectionis a Carolo Muellero editae, quae „Geographi Graeci Minores" inscribitur, Parisiis 1841, invenitur.

De arte grammatica Rufi Festi Avieni.

I. De partibus orationis.

A. De substantivis.

1. Numerus pluralis nominum concretorum, quae dicuntur, pro singulari positus est.

In huius generis usu, qui apud poetas aetatis Augusteae latissime patet, Avienus non multum a Vergilio et Ovidio differt. (cfr. Draeger: Historische Syntax I p. 7.)

a) Ac nominum, quae materiam aliquam significant, haec pluralia apud eum sunt:

spumae III 718, rores II 1620, musta III 1302, farra II 1379, tura III 1115, gramina II 1758 etc., latices II 502, 1686 etc., aquae II 549 etc., ignes II 228 etc., lumina II 998 etc., pabula II 1844, III 1145, harenae IV 319 etc.

b) Pluraliter scripta sunt nomina, quae ad tempestatem pertinent. (cfr. Draeger I. p. 6.): pruinae II 860 etc., imbres II 862 etc., pluviae II 1422 etc., nebulae II 1614 etc., nimbi II 1601 etc., frigora II 1806 etc., aestus II 1827, crepuscula II 608 etc., procellae II 1531 etc., aurae II 488 etc. Huc quoque referenda sunt nomina ventorum, quorum numero plurali Avienus saepe utitur:

euri II 1532, noti II 1319, 1587, austri II 1779, zephyri II 866, III 561 etc., chauri II 109 etc., aquilones II 116, III 400 etc.

c) Numerus pluralis rerum, quae manu factae sunt:

plaustra II 103, 143 etc., claustra II 456, cingula II 464 etc., arcus II 672, currus II 322, 410, axės II 703 etc., thyrsi II 1130 etc.

d) Pluralis nominum, quae loca vel res extensas significant: metae II 988, loci II 180, IV 245 (promiscue et sine ullo discrimine Avienus „loca“ et „loci“ scribit (cfr. II 1510, III 95, 182, 338, IV 258 etc., locos II 180, 798, III 1221 etc.), orae II 216, I 1 etc., confinia II 161 etc., aequora II 768 etc., marmora II 1128 etc., flumina III 856, 894, 1364 (cum his locis „flumina“ idem sit, quod aquae fluentes pluralis suam vim tenet) stagna II 972 etc., gurgites IV 122, 158, 194 etc., (ille numerus pluralis nisi in „Ora maritima“ non invenitur.) litora III 266 etc., sola III 1027, 1073 etc., vada II 807, 1024 etc. („Vada“ apud Avienum idem significat quod mare vel aquae maris), cespites IV 219, 324 (numerus pluralis illius vocabuli nisi in „Ora maritima“ non occurrit.) antra II 1186, spatia II 1247, III 1266, fana III 992, aggeres IV 625, partes II 353, III 590 etc., luci III 317, acumina II 1466, faces II 1466.

e) Pluralem partium corporis, qui apud poetas aetatis Augusteae frequentissimus est, Avienus saepe scripsit:

vultus II 130 etc., ora I 22 etc., terga II 195 etc., pectora II 240 etc., armi II 477, guttura II 638, colla II 693 etc., caudae II 806, corda II 1176, medullae II 1176, dorsa II 706 etc.

f) Alia denique pluralia, quibus poetae posteriores ad res amplificandas saepissime diversisque rationibus uti solent, apud Avienum leguntur:

regna III 1211, IV 422, agmina II 145, tempora II 58, 230 etc.

2. Numerus pluralis nominum abstractorum.

Pluralis rem aliqua ratione variam significat, sive eadem res in variis hominibus, rebus, locis, temporibus repetitur, sive rei varia genera vel rationes indicantur, sive magnitudo vel vis quaedem, quam illa res, plerumque animi affectus, in se habeat, ostenditur, sive causis

metricis ille pluralis commendatur. (cfr. E. Norden: P. Vergilius Maro Aeneis Buch VI. Leipzig, 1903 p. 399 sqq.) Ut illustrem, quantopere Avienus his causis adductus illam elocutionem adamaverit, nonnulla exempla affero:

primordia II 24 etc., meatus II 157 etc., visus II 73 etc., venatus II 106 etc., occasus II 167 etc. ortus II 126 etc., exordia II 176 etc., cunctamina II 135, divortia II 168 etc. odia II 183, solacia II 223, gustatus I 4, iura II 302, commercia II 311 etc., obtutus II 360 etc., otia II 404, protractus II 429, ductus II 531, lucra II 668, moderamina II 792, cursus II 921 etc., curricula II 1317 etc dispendia II 1341 etc., momenta II 1368 etc., tumultus II 1406, tractus II 1549 etc., volatus II 1770, mugitus II 1849, lapsus II 1870, ululatus III 1004, odores III 1116 etc., incrementa III 901 etc., fragores III 1179, compendia III 1242, recessus III 1374, concubitus III 858, murmura II 1428, balatus III 938, procursus III 555 etc., fastidia I 20, 23.

3. Substantiva abstracta vice concretorum scripta in Avieni carminibus satis crebra sunt.

a) Numero singulari: Herculanea solemnitas IV 274=templum Herculis, multus tumor=magnus mons IV 228 (saepissime in Avieni carminibus adiectivum „multus" est, ubi adiectivum „magnus" exspectamus: cfr. IV 270, II 1032, 1091, III 686, 830, IV 218 etc.) amor=amica II 701, tumor=undae II 1671, aevum antiquius=homines antiquiores IV 91, obtutus=oculus IV 667 etc., custodia=custos II 181, virtus=homines virtute praediti III 729 (cfr. Hor. Od. III 2, 21, Val. Max. 15, 7.) aestus=undae III 80, 73 etc., =mare III 48, 112 etc., vivendi series=cuncti homines illis temporibus viventes et inter se succedentes, pars=nonnulli

homines vel hominum pars II 781 etc., discretio=homines discernentes II 300, sincera priorum vita hominum=sinceri homines priores (conf. Lucret. I 62 etc.) II 293, Centaurea moles=Centaurus ingens II 983 (cfr. Sil. Herculea moles), gressus herilis=herus gradiens II 1254, ordo devexus=zonae devexo ordine locatae II 1022, brumalis pulsus=bruma pellens II 654.

Saepius Avienus pro concretis abstracta in appositione usurpavit: magni Jovis ardor, Asopis Virgo=Aegina, amica magni Jovis III 953, Myrrha furor quondam Cinyreius III 1113, sol magni gratia mundi II 1308, urbs Phoenissa, paci blanda quies III 290, Isis consors et cura latrantis Anubi II 283, Massagetae, placidae mens nescia vitae III 918.

b) Pro concretis abstracta numero plurali scripta: obtutus=oculi II 1039, IV 39, visus=oculi II 73, 1041, novercales irae=noverca irata II 380, primordia=rerum elementa II 24 (idem apud Lucretium, Ciceronem, Ovidium, alios) morsus falcati=falx mordens II 1188, superi motus=fulgura et tonitrua II 1434, ortus=dies III 1163, aerii meatus=sidera in aere meantia II 930.

4. Loco adiectivi substantivum appellativum alteri substantivo attributum est: lex magistra II 996, incola piscis II 1081, tellus parens II 1379, pistris undicola II 809, Dodona vates III 590, Laomedondiates ephebus II 674, Auson vox II 102/3.

5. Cum non solum poetas, sed etiam prosae orationis scriptores, qui aurea, quam dicimus, aetate floruerunt, numero singulari nominum populorum, animalium, plantarum pro plurali numero usos esse satis constet, eandem consuetudinem in Avieni carminibus nobis occurrere multis exemplis in lucem prolatis supervacaneum arbitror demonstrare. Sed insolentius illud dicendi genus est, quo adiectiva „multus", „plurimus", „frequens", „creber" cum

singulari substantivi copulantur: multus caper IV 218, crebro crine II 1819, crebra rupe III 185, flore frequenti III 1124, creber olos III 998, pinus frequens IV 435, fucus frequens IV 408, cfr. III 503, 786, 1227, Phoenix multus IV 440, plurimum fucum IV 122 (cfr. Streifinger „De syntaxi Tibulliana". p. 10. Dissert. Inaug. Wirceb. 1881.)

Magna etiam Avieni licentia est, qua consuetudinem historicorum inprimis Livii et Taciti secutus (cfr. Draeg. Histor. Synt. I. p. 4 sqq.) numerum pluralem concretorum cum numero singulari coniungit: hirtae capellae et multus caper IV 218, planiore fundo rates IV 378, pharetris agilique sagitta III 916, scruposum ut alti verticem montes levent IV 66, sali freta tumido gurgite III 383, Sarmata, Germani, Geta, Basternaeque feroces, Dacorumque populi, acer Halanus, incola Scytha III 442—44, Scytha, Albani, Cadusus, Mardi, Hyrcani, Apyrique III 906—908, cfr. III 909—910, ululae, cornix II 1703/4, cfr. II 1715, 1717, 1740—43, 1759—71, 1794/95 etc. etc., maculosae nebridis usum Permutant clypeis, viridique hostilia thyrso succedunt, solvunt lintea Bacchae vincula, viroso pectus vinxere dracone II 1366—69, aequora campi III 885.

Variationis quoque causa aut metri necessitate coactus numerum pluralem partium corporis Avienus cum singulari coniungit: pectora cum curvo purgat gallinula rostro II 1713, os flagrans et guttura longa coruscans II 638, os et colla et pectora mersantur II 1086, fluitat caput, cervix tumet et turgent pectora II 1089—1090, laevam et caput oraque II 1147 cfr. II 727.

B. De usu adiectivorum.

1. De adiectivorum et participiorum usu substantivo.

Graecorum usum secutus Avienus plurimus est in adiectivis et participiis pro substantivis ponendis eaque re etiam Tacitum superat, cui hoc dicendi genus est usitatis-

simum. Avieni usus propterea memoratu dignissimus est, quia in eis casibus utendis, quorum forma genus non ostenditur, non parcior est quam in reliquis, praecipue in nominativo et accusativo.

a) Neutrum singulare saepissime apud Avienum substantivi locum tenet. Huius generis exempla haec sunt: Nominativi et Accusativi: reliquum II 1201, aerium II 1675, profundum II 1474, III 109 etc., nubilum IV 389, madidum II 1441. — Genetivi: vis profundi III 781, IV 395, madidi substantia II 1416, signa sereni II 1531, signa futuri II 1836, indiga pleni II 471. — Dativi: alto IV 385, nebuloso II 1590. — Ablativi: fulvo II 744, rutilo II 1485, interfluo IV 312, profundo II 1163 etc., alto II 869 etc.

Neutra a praepositionibus pendentia: per altum II 124, per immensum II 274, per laevum II 245, cum medio II 1147, in medio II 1656, ab alto III 620, 686 etc., vasto in alto II 658, ab eoo alto II 914, boreali ab alto III 84.

Neutra cum attributis coniuncta: abstrusi cavi IV 242, protento inani (ablat.) II 1506, crepuli profundi II 991, Tithoneo profundo II 1025 cfr. IV 69, Scythicum profundum IV 211, III 60, 68, 559, 665 etc., Siculi alti III 156. (Idem igitur „altum“ et „profundum“ est quod mare.)

b) Neutra numero plurali scripta:

Nominativi et accusativi: cetera II 1147, 487 etc., postrema II 234, cuncta II 303 etc., nubila II 862 etc., singula II 1026 etc., altera II 1209, celsa II 1255, extima II 1313, alta II 1479, pigra II 1553, efflua II 1555, vicina III 1134, ima III 163, etc. etc. — Genetivi: malorum II 664, magnorum II 1320, diversorum II 1429, IV 19 talium sitim.

Neutra a praepositionibus pendentia: in notialia nubila II 551, in contraria II 851, in omnia II 1355, in superis II 1092, ex aliis II 1405, inter prima II 1735, per humida

II 755, per aperta II 1747, 1768, III 1182, 91, per inhospita III 1297, post multa IV 156, prae cunctis III 363.

Neutra cum attributis copulata: suffusa ultima II 233, cetera singula II 820, mutua consortia II 935, concreta nubila II 1415, clara serena II 1456, 1731, liventia nubila II 1593, pura serena II 1606, 1611, 1679, nubila atra II 1798, deflexa alta III 140, secreta barbara III 435/36, densa nubila III 452, vaga nubila III 802 mitia serena II 1563.

Exemplis allatis apparet plurima illa neutra substantivi loco posita et singularia et pluralia vice abstractorum fungi.

c) Masculina numero singulari scripta:

Nominativi et accusativi: mortalem II 54, omnipotens II 217, cornipedem II 506, 645, quadrupes II 486, 881, laniger II 545, ales II 633, 959, 1105, praepes II 643, armiger II 694, auritum II 751, pavidum II 752, nullus II 911, IV 383, 384, sonipes II 1121, totum II 1149, in tenacem IV 22, in sequacem IV 23, popularis IV 48. — Genetivi: cornipedis II 475, 485, 843, lanigeri II 515, sagittigeri II 842, signiferi II 1042, 1053, agrestis et duri IV 13. — Dativus: barbaro IV 346. Ablativus: armigero alite II 1008.

Avienus igitur praecipue adiectiva composita, quae in syllabas „fer“, „ger“, „pes“ exeunt, numero singulari substantivi loco ponit.

d) Masculina numero plurali scripta:

Nominativi et accusativi: vetusti IV 193, plurimi IV 249, gentici IV 611, 645, iugales II 786, 975, arctoos IV 672, germanos II 376, cunctos divos II 1019, fraternos iugales II 1630, cunctos II 1197. — Genetivi: superum II 689, omnium IV 277, priorum II 1364, proximorum IV 257, plurimorum IV 41. — Dativi: mortalibus II 4, cunctis II 303, nauticis IV 220, 357.

e) Separatim affero participia, quae substantivi locum habent:

α) Participia praesentis masculini vel feminini generis pro substantivis posita: instanti II 259, minanti II 259, usurpantis II 302, tonantis II 370, 408, III 673, exciti tonantis III 520, volentem II 931, quaerentem II 522, marcenti II 1604, incolentes IV 703, adcurrentum II 323, paventis II 666 (acc. plur.)

β) Participia perfecti: dilecta II 705, natae (gen.) II 458, praecipitis natae II 1203.

γ) Participia generis neutrius numero singulari pro substantivis scripta: venturum II 1866, inventum II 1372, desideratum IV 6, expetitum IV 29, intimati IV 21, prominens IV 171, 261 etc., celsum prominens IV 702, huius prominentis IV 94, illi eminenti IV 602.

δ) Participia generis neutrius numero plurali scripta: sata III 347, famosa commenta II 258, culta II 300, sata cuncta II 736, sata pinguia III 575, praevisa II 1544, monstrata II 1545, torpentia II 1553, sopita II 1554, densata II 1556, ventura II 1650, reperta II 1868, prolata IV 78, prominentia IV 57, per aperta IV 285, II 1747 etc. convexa II 54 etc., convexa pura III 1121, nebulosa convexa IV 232, convexa cuncta IV 656, virentum III 674, agendorum II 20, digestorum II 25, venientum II 1069, Ausoniis orsis III 5, obiectis III 212 (abl.)

2. Ellipsis substantivi in his exemplis statuenda est: aenum (vas) II 1722, altum (mare), classicum (signum) III 1373, defixa (stella) II 929, fera (bestia) II 1215 etc., olivum (oleum) VI 8, IV 495, ulula (avis) II 1703, senecta (aetas) II 1686, novale (solum) II 615, regia (arx) II 1511, laeva (terra) III 147, Persis (terra) III 1135, 1162, Illyris III 145, 538, (eadem significatio terrae in Ovidii carminibus invenitur), Oestrymnis (arx) IV 91, Oestrymnis (insula) IV 154, Sunias (arx) III 678, Sacra (insula) IV 108, Taurica (insula) III 229, Libyrnides (insulae) III 658, Euxinus (pontus) III 720 etc., Aegaei (maris) III 689, Tyrrhenum (mare) III 510, Jonium (mare) III 653 etc.

3. Saepissime Avienus adiectivum praedicativum adverbii loco posuit. Ille usus, qui iam in poetarum comicorum fabulis invenitur, postea in poetarum epicorum et lyricorum carminibus studio litterarum Graecarum increbuit (cfr. Kuehner lat. Gr. II § 63). Cum longum sit omnia exempla, quae exscripsi, affere, ex illa magna copia quaedam eligo, ad demonstrandum, quantopere Avienus id dicendi genus adamaverit et quanta licentia eis adiectivis nonnunquam usus sit.

a) Ac primum commemoro adiectiva, quae animi vel corporis condicionem significant: *solers* fuge II 675, *cautus* deam circumspice II 1447, tempora *pigra* se referunt II 925, *acer* Atlantei qua furit aequoris aestu II 1076, *sonorus* volvit aequor spumeum Anystus amnis IV 547, aries *segnior* convertitur II 510, *mobilis* mundi se machina versat II 84, hic dilectam *mollis* dorsa tulit II 706. Saepe Avienus poetarum more illa adiectiva non cum subiecto, cuius condicionem significant, sed cum ablativo instrumenti vel modi substantivi coniungit: *cupido ore* si ovis gramina tondeat II 1837, grues sese *audacibus pinnis* aethrae inmittunt II 1769, *firmo* venturum *pectore* fare II 1866, si *tranquillo* convexa concurrerit *astro* II 1564, *tali sole* revecto II 1562, incute *docto* chelyn *plectro* aliaque.

Cum poetae aetatis Augusteae rarius et cautius adiectiva, quae animi vel corporis condicionem significant, pro adverbiis usurpaverint, adiectiva, quibus loci vel temporis rationem, aut mensuram vel numerum vel ordinem exprimunt, ita adhibere solent. (cfr. Draeg. Hist. Syntax I. § 159. — Reisig. Lat. Sprachwissenschaft. III § 225.) Non igitur mirum est, quod Avienus, illorum poetarum imitator, saepius illa adiectiva habet.

b) Adiectiva loci vel temporis rationem significant: Pierides *celeres* Helicone venite III 8, *citus* currit II 524, *praeceps* ruit unda III 291 etc., hydra ingenti sub virgine

summa quiescit II 895, alius iacet obvius II 952 etc., iste lyrae rutilat conterminus II 1139 etc., proxima se pascua tendunt III 280, qui extremi sola sulcant III 272, vicinior radios directos axi Occiduo inclinat III 765/66, his distentus aquas sata lambit III 575, alius consurgit celsior II 548/49, borean propior subit II 549, vestigia arcum sera manent II 1216, si nocturnis ardentibus testis Concrescant fungi II 1718/19, nocturnis elucubrata camenis VI 9, si nocturna cornix canit II 1759, matutino qua perstrepit aera fluctu II 1075, ut matutinis inclinent aequora habenis III 218, si matutino fringilla resultat ab ore II 1761, cfr. III 15, II 1360, sed prior occidui taurus subit aequoris undas II 439 aliaque.

c) Adiectiva mensuram vel numerum vel ordinem significant: totus ab aethra Labitur Arcturus II 1305/6, tota descendit II 1253 etc., suus unda Effluit in Scythiam III 30/31, plurimus funditur II 245 etc., multa Occurret genetrix oculis II 451/53, multa cavatur (Coele) III 1058, Arcturus distabit multus II 1091, si minor haec madidi substantia subrigitur II 1416, funditur hydra longior II 1135, luminis ista si crassior ingreditur II 1459/60 etc., ille geminus meat II 1529, solet unicus idem cingere II 1529, si simplex circumversabitur orbem II 1530, oberrat parcior III 162, primus cum vertit pectoris ortus Sturnus II 1680/82, neque iste tractu simplici provolvitur Unusve sulcat caespitem IV 286/87, tertia (Cynthia) cum rutilat II 1451, si tertia fulserit ortu II 1454, cfr. II 1465, cum capra spinis ilicis multa inhiat II 1851/52 unda cucurrit largior III 1125/26 aliaque.

C. De pronominibus.

a) Pluralis quem dicunt modestiae, quo unus de se ipse loquens utitur, Avieno non solum familiarissimus est, sed saepe etiam ut alii poetae sine ulla ratione nisi metri causa numerum singularem et pluralem promiscue posuit: terras

linquo — imus in astra — caelum et aethera pando II 2—4, temptabimus — hoc satis mihi, Si retexam II 927/29, ut aperta intimatio Sudoris huius et laboris sit mei, Narrationem exordiemur IV 74/77, edisseram — fabimur IV 631/36, diximus II 1017, IV 534, 568, nec nostro struimus mendacia versu II 1172, iunximus IV 40, laboris nostri IV 68, reliqua scripta sunt Nobis in illo plenius volumine, Quod fecimus IV 71/73 nos IV 691, nos — vidimus IV 273/74, nos loquemur IV 396, nos edidimus IV 414/15, nostris gustatibus I 4 etc.

b) Pronomen alius aliquoties loco pronominis „alter" positum est. Quod dicendi genus, cum e cotidianae vitae sermone in orationem virorum doctorum et elegantiorum irrepsisset, fecit, ut iam a Taciti temporibus apud scriptores illa pronomina permutarentur. (cfr. Draeg. I pag. 105. Lat. Gramm. von Stolz und Schmalz p. 449): Hic insularum semet subrigit vertex duarum: nominis minor indiga est, Aliam vocavit mos tenax Agonida IV 212/14 laevum propter chelys haec femur adstat. Advolat ast aliud latus ales II 632/33, Quin norunt aliam superum convexa sagittam II 689, lux illic clara duabus Est solum facibus . . . alii Phrygium nam subter ephebum Ardet apex, alii . . . insignis late vomitur globus ignis II 835/40, Modus et mensura duobus Est conpar solis, alios duo parcior artat linea II 948 (sermo est de quattuor circulis cfr. v. 930 sqq.)

Promiscue pronomina „alius" et „alter" usurpantur: II 548/49 alius rigida consurgit in aera forma — alter aquarum avidus iacet, II 1653/55, duo propter asellos Suspice, quorum alius septem vicina trioni Astra adolet, tepidum procul alter spectat in austrum.

c) Praeterea pronomina „ille" et „alter" inter sese opponuntur: II 32/35, ignea cuius Lumina sunt sol et soror: ille diei Tendat ut infusi rutilum iubar, altera noctis Ut face rumpat amictus.

d) Nec minus invenitur: „una — alia“ pro „altera — altera“: III 643/44 una ibi Syrtis, Ast aliam alterius freta tendunt, III 106/107 scopuli stant ardui utrimque: Unus enim Europam, Lybiam procul aspicit alter.

e) „Uni – aliud“ scriptum est, ubi „alii – aliud“ exspectamus: II 1864/65, sed memor uni Adde aliud semper.

f) Simili modo Avienus „istud“ et „alii“ inter sese opponit: II 1356/57 nunc igneus istud Astrum adolet flammis, alii nunc aurea Titan Lumina miscetur.

g) „Alii“, ut significet quod, „οἱ ἄλλοι“ „reliqui vel ceteri“ Avienus semel usurpavit. Ille dicendi usus, qui iam apud Ter. Phorm. 5, 9, 31 occurrit, alienus est a Cicerone atque ante Livium raro invenitur. (cfr. Draeg. I § 55): III 1289 australis certe Scytha dicitur iste: Namque alii dura pulsantur arcto.

h) Quamquam de duabus rebus dicit Avienus pronomine „quisque“ utitur, qui usus inde ab Livii demum et Ovidii temporibus in linguam latinam irrepsit. (cfr. Draeg. I p. 102): III 557/59 gemino sic gurgite late Graia madet tellus, sortitaque marmora ventos Quaeque suos. (Insolens quoque hoc loco collocatio pronominis „quisque“ est, quod pronomini possessivo praeponitur. (vide Streifinger „De synt. Tibull. p. 24: „gloria cuique sua est.“) cfr. Val. Max. VIII 6, 3 „quisque sibi“, quod exemplum attulit Blaum „Eine Abhandlung über Val. Maximus p. 10 Progr. Straßburg 1876.

i) Aliquoties Avienus pronomen „ipse“, ut personae vel rei maiorem vim tribuat pro pronomine „idem“ usurpat, quod dicendi genus in lingua latina apud posteriores scriptores, nondum apud classicos, occurrit: II 1250/52, Argo tinguitur et duro tangit vada caerula dorso. Ipsa dehinc manet exortum Cilicis capricorni, IV 62/63, Ut prona ponti gurgitem intrent flumina, Ut ipsa rursum saepe cingant insulas, IV 117/19 Quae Himilco Poenus mensibus vix quattuor, Ut ipse semet rem probasse retulit, Ena-

vigantem posse transmitti adserit, IV 267/69, Gadir hic est oppidum: ipsa Tartessus prius Cognominata est. (cfr. Sittl Die lokalen Verschiedenheiten der lat. Sprache p. 115.)

k) „Et ipse"=*καὶ αὐτός*, quae structura verborum apud Caesarem et Sallustium non est, apud Ciceronem quinquies, saepissime apud Livium invenitur, (cfr. Draeg. I p. 81) ter in Avieni carminibus occurrit: IV 216, Saturni et ipsa, IV 704, Massilia et ipsa est, II 724, talis et ipse.

l) Pronomen „iste", quod creberrimum in Avieni carminibus est, nonnunquam loco pronominis „hic" usurpatur. Ille usus, qui iam apud Valerium Maximum invenitur, apud Gellium quoque 17, 12, 4 et saepius apud Augustinum occurrit. (cfr. Draeg. I 87.) Promiscue saepius pronomina „iste" et „hic" in eodem sententiae conexu ad eandem rem relata inveniuntur: III 861/62 Hic (Tanaïs) Asiam Europa disterminat, arduus istum Caucasus eructat: Scythicos hic fusus in agros, III 831/34, trinoque sinu vagus influit aestus Unam Asiae molem: sinus istam Persicus intrat, Maximus hanc Arabum scindit sinus, et sinus aequor Inserit Hyrcanus, III 876 Huius (Caucasi) valle procul Phasis gemit, istius antro Agmina provolvit, III 265/267 huius caespitis — istius orae, III 40/42 hic contingit — iste secat, II 5—9 iste paterni Principium motus, vis fulminis iste corusci . . . . . hic tener aer, II 15—17 iste calorem inseruit, rite hunc primum, medium adque secundum, II 25 hic digestorum speciem dedit, iste colorem Imponit rebus, cfr. II 41, 43/44, 904/5, II 1139/40, IV 569/74, II 1189/90, 1256/57.

m) Pronomini „iste", quod vice pronominis „hic" fungitur, ter pronomen „ille" oppositum est, quod dicendi genus Augustini temporibus percrebruit. (Draeg. I. p. 87.): II 1235/37 Sed non aurigam, cum gurgites ille profundi Ima petit pedibus, capra mox haedive secuntur. Ista polo rutilant, illum vada livida condunt, III 576/77 Iuxta

Argivus Ager, iuxta sunt culta Laconum: Illos prima dies, celer istos aspicit auster, III 231 Eminus ista notum videt, arctos eminos illa.

n) Pronomina „hic“ et „ille“ ad eandem personam relata promiscue usurpantur: II 624/25 Hic (Orpheus) iam fila novem movit . . . ille repertor Carmina Pleiadum numero deduxerat.

o) Semel pronomen „hic“ ita pronomini „ille“ oppositum est, ut „hic“ ad rem referatur loco remotiore commemoratam (cfr. Draeg. I. p. 87.): III 397/400 eadem insinuatio ponti Europam et Libyam disterminat. Sed prior illa (Libya) tamen tepido perfunditur austro, Haec (Europa) subit insanos aquilones.

p) Ut significet, quod Graeci pronomine „τις“, nostri pronomine „mancher“, Avienus semel pronomen „aliquis“ scripsit: IV 135 ut saepe fors aliquos agit. (alia exempla apud Tibullum Streifinger p. 23 attulit).

q) Inusitatiores numeri plurales pronominum hi sunt: IV 335 locos utrosque, III 559 marmora quaeque.

r) Pronomen „quisquam“ cum substantivo copulatum invenitur: II 1311 nec lateri cuiquam, III 1178/79 haud quisquam fluctus.

Cum iam scriptores et poetae antiquioris aetatis (cfr. Draeg. I. p. 97) pronomen „quisquam“ in enuntiatis condicionalibus ita usurpent, ut vis quaedam negativa insit („wenn überhaupt, wenn wirklich jemand“), Avienus sive orationis variandae sive metri causa adductus „si quisquam“ pro „si quis“ ponit. Promiscue etiam illis pronominibus in eadem enuntiatione utitur: IV 178/180 si petat quisquam . . . si quis tetenderit, III 403 si quisquam velit.

s) Subiectum superioris sententiae, quamquam in posteriore sententia manet et facile intelligitur, Avienus ibi pronominibus „idem“ vel „ipse“ vel „hic“ recipere solet. Ille usus etiam apud alios poetas observatur. (cfr. Kuehner, lat. Gram. II. § 118, 10). (Draeg. I p. 83). Exempla haec sunt: III 813 si

velit hoc ullus, velit idem scire, IV 62/63 ut ponti gurgitem intrent flumina, Ut ipsa cingant insulas, II 94/95 subit altera Pars Erebum et nigri iacet haec ut conscia Ditis, II 483 ultima quae mento sese explicat, haut minor illa Quattuor est primis, II 1036 Unde acies oculis cum tenditur, haec quoque puncti Sedem habet, II 1139/40 Iste rutilat conterminus adque sub undis Hic petit, II 1551/52 cum se Inserit aeriae fulgor facis, ille calore Pigra movet, aliaque.

D. De adverbiorum et particularum usu.

1. More Graecorum Avienus interdum adverbium loco adiectivi substantivo attribuit, quae figura a grammaticis vulgo „Hyphen“ dicitur (cfr. Dräeg. I. p. 131): III 539 periclis saepe carinarum famosa Ceraunia, II 1423 pluviis late calor est pater, II 664 isti saepe malorum immemores, II 575 Caelifer umero magnum super aethera torquet, IV 211 Omne hic profundum, II 487 cetera pone negantur, IV 708 civitas paene insula est, IV 310.

Simili modo substantivum ex praepositione pendens cum altero substantivo in unam notionem coniungitur: IV 280 litterarum semper in studio Iuba, III 115 genus ab Iove summo, II 10/11 sucus ab alto caelo, IV 411 terror ex feris.

2. Praeterea Avienus adiectivorum vim adverbiis additis augere solet. Ad adumbrandum illud dicendi genus nonnulla exempla affero: III 36/37 alti procul Nili, Ii 763 procul imi litoris, III 937/38 procul cassa, III 968 rapidi procul Hellesponti etc., II 109 late circumsona, II 1268 ingentis late caudae, II 32/33 late ignea lumina, III 37 late efflua, III 169 arva late pinguia, III 302 late prisca, IV 101 turbidum late fretum, IV 120 nulla late flabra etc., longe spectabilis II 607, tantum miseri agelli I 25, proxima tantum III 202, nebulosa iuge convexa IV 232, protinus expertem II 173.

Hoc loco addendum est Avienum, poetam inflati generis dicendi cupidissimum, saepe in adverbiorum, quae loci vel temporis rationem exprimunt, pleonasmum inelegantem incidisse. Velut: procul late flagrat II 1666, procul late ruit III 926, indeque rursum III 444, hic rursum III 472, simul mox III 793, inde denique IV 552, hinc rursum III 1448 aliaque.

Eodem modo, quo Avienus subiectum prioris membri sententiae pronominibus „idem“ vel „is“ vel „ipse“ recipit, adverbiis „illic“ et ibi ad ablativum „qua“ (parte) legentes relegat: III 477 qua glaeba recumbit, tumet illic ardua Calpe, III 1011/12 Qua se Xanthus agit, ... surgunt ibi culmina Tauri.

Vice pronominum funguntur adverbia „inde“ et „unde“: I 4 aliquid inde (ex eis malis) relaxes, I 17 Unde (quibus) ligant teneros examina flammea casses.

„Huc et huc“ positum est pro „huc-illuc“: IV 127 obire semper huc et huc ponti feras.

Orationis variandae sive metri causa „illic“ et „hic“ promiscue usurpantur: III 206/08 illic instabili fama est sale saxa moveri, Hic rigidas errare ferunt per marmora cautes.

Eisdem de causis „hic“ et „ibi“ promiscue scribuntur: III 479 Hic Hispanus ager, tellus ibi dives Hiberum.

„Hinc“ causam significat: IV 495 insula Ferax olivi et hinc Minervae stat sacra.

Comicorum modo „dehinc“ accomodatum est conclusioni ut Germanorum „daher“: III 362 Quidquid terra dehinc sufficit.

Particulam „denique“ Avienus saepe ita usurpat, ut inde a saeculo p. Chr. nat. altero scriptores quidam, ut alicuius propositae rei causam significet, quasi dicat, ut germanice vertam „infolge dessen“: III 134/36 cautes extenditur, ut ferus ora Est aries . . . Denique sic olli nomen prior indidit aetas (cfr. v. 90 perieg. Dionysii „τοὔνεκά

νιν καὶ κριοῦ ἐφημίξαντο μέτωπον"), II 1148/50 tribus hic Partibus erigitur, tria totum denique signa Absolvunt pelago, II 1524/26 sic crebro denique Phoebe Nubibus ambiri, cum subsint nubila lunae, Creditur, III 57/60 Hic densata sali stant marmora pigraque ponti Se natura tenet, nunquam ruit effluus humor: Mortuus hic Graio perhibetur gurges in usu Denique, III 282/83 certi laris inscia gens est. Nunc in dumosas erepunt denique rupes, III 316/17 hic fata canit venerabilis Hammon, Mugit harenosis nemus illic lucis, IV 225/27 inde tenditur iugum Zephyro sacratum: denique arcis summitas Zephyris vocata.

„Ergo" aliquoties Avienus usurpat pro „igitur", ubi digressione facta in descriptione eo, unde exorsus est, revertitur. Ille particulae usus apud scriptores Latinos raro invenitur. Exempla quaedam ex Cicerone affert Draeger II p. 178. III 263 ergo solum per austrum tenditur, III 358 Istius ergo tibi formam regionis et oras Expediam versu, cfr. III 1364, 1374 etc.

Ut Graeci *αὖ* vel *πάλιν,* ita Avienus in persequenda descriptione saepissime „rursus" scribit eodem sensu, quo alias „contra" vel „vicissim". Ille particulae usus iam apud Horatium (cfr. sat. I 3, 28) et Ciceronem (Tusc. I 20, Brut. § 12) invenitur. Exempla, quorum permagnus numerus in Avieni carminibus occurrit, afferre supersedi.

Particula „sic" Avienus sententiam inchoare solet, si rationes rei, quam memoravit, affert: IV 117/21 Quae (aequora) Himilco Poenus mensibus vix quattuor posse transmitti adserit: Sic nulla late flabra propellunt ratem, Sic segnis humor aequoris pigri stupet, IV 539/41 Nullisque flabris aequor est obnoxium: Sic omne late, praelocatis rupibus, Latus ambiere cacumina, IV 708/9 civitas paene insula est: Sic aequor omne caespiti infundit manus, cfr. III 47, 108, 407, 557, 729, 730, II 284, 427, 538 etc.

Particula „et" adverbii loco saepissime apud Avienum est, qui dicendi usus antiquis temporibus raro admodum

invenitur, sed ab Livii temporibus magis magisque percrebuit. (cfr. Draeg. II p. 31.): „quin et“ II 534, 780, III 435, IV 26, 46 etc.

Particula „quoque“ respondet particulae „et“: III 408 Unum et utrique caput, similis quoque finis utrique.

Nec minus iunguntur „que-quoque“: IV 43 Hellanicusque Lesbius, Phileus quoque Atheniensis. „et — que — quoque“: IV 46/47 Quin et Damastus, Rhodoque Bacoris ortus, Euctemon quoque.

Particulas „et quoque“ copulatas invenimus: II 780 Quin et caeruleo flumen quoque gurgite manat. Illa verborum structura, quae semel apud Plaut. Men. 768 invenitur, omnibus temporibus raro admodum usurpatur. cfr. Draeg. II. p. 33).

„que quoque“ invenitur: II 468 vinculaque in caelo retinet quoque.

Magna Avieni licentia est, qua particulam „que“ more plane alieno ab optimorum scriptorum usu vocabulo „hic“, quamquam extremam habet litteram „c“, adnectit: hicque II 1009, 1591, III 130, 538 etc., IV 560, hocque II 1478. (cfr. Draeg. II. p. 37).

Semel „que“ particula posita est post vocem negantem: III 1237 non ollis cura laborque.

Sed post negationem eadem particula „que“ pro adversativa „sed“ bis posita est. Ille dicendi usus, quamquam iam apud Plautum invenitur, (cfr. Draeg. II. p. 44) apud Caesarem, Ciceronem, Sallustium, Livium raro occurrit. Sed errat Draeger, cum dicit hunc usum posterioribus temporibus evanescere videri. II 217/223 Non tulit omnipotens moxque polo iaculatus fulmina repertorem in umbras Deicit II 480/82 Sed non et capiti similis rubor ipsaque cervix Languida marcenti vix est spectabilis igne.

Particulas „ve“, „vel“, „aut“ Avienus interdum miscuit: I 10/11 quamve cumulavit Hiberia dives Solverit aut Libyco quam laetus navita portu, II 1862/63 vel cum curriculis

lux ibit coepta secundis Tertius aut verso cum venerit ortus Olympo, III 1190/91 aut tectis si quis dolat ornos, Vel salis in fluctus qui cumbam navita texit, cfr. II 1848/49.

More scriptorum deterioris latinitatis „vel" pro „et" scribit (cfr. pervig. Ven. v. 53) IV 275 at vis in illis tanta vel tantum decus.

Cum Avienum Vergilii dicendi genus imitandum sibi proposuisse constet, non mirum est, quod obsoletum illud „ast" saepe usurpavit cfr. II 503, 633 etc., III 291, 644 etc. IV 108.

Idem Vergilium secutus particulam „at" scripsit, non ut duas res inter se opponat, sed ad narrationem continuandam: II 435, 537, 626 etc., III 34, 65, 224, 239 etc., IV 108, 174 etc.

Tum „at" particula est ante imperativum: III 1392 At tu, Phoebe pater, vos camenae inspirate.

Poetarum more Avienus „an-an" pro „utrum-an" in indirecta enuntiatione interrogativa disiunctiva usurpavit, qui usus iam Tibullo, Vergilio, Ovidio notus, a scriptoribus latinitatis argenteae receptus est. (cfr. Lat. Gram. von Stolz und Schmalz p. 362 et Draeg. II p. 489): II 1289/91 natura ambigua rerum ratione reliquit, Extimus an reliquos aries produceret artus Perseos an tauro freta pelleret adsurgente.

„Quippe" pro „nam" saepius occurrit: II 358, 468, 542 etc., III 159, 294, IV 7, 29 etc.

Morem Ciceronis secutus (cfr. Draeg. II p. 173) Avienus semel „quippe" in appositione explicativa usurpat: II 204 Istius extremo sub vertice, vertice quippe Sideris inmisci.

Bis Avienus particula „ut" adiectivis adiuncta exprimit eventum in rei ipsius natura positum. Inest igitur particulae vis quaedam causalis: III 811 Harum quis valeat numerosa ut nomina fari? IV 194 semper atque sordibus Ut faeculentos gurgites haerescere.

Contra „ut" particula interdum indicium restringit: II 1389/90 nam mundi cardine versu Ut stata raucisoni redit indignatio ponti III 392/93 et quae Tritonidis alta paludis Ut circumfuso populorum examine cingunt, III 487 Ut protelatae molis iuga gurgite condit, III 1087/88 namque duobus Ut conclusa iugis.

„Ut locale" invenitur: II 141 hunc quoque, ut artus Longius effusum spatiosa volumina tendunt, II 650 Imus ut australi descendit circulus axe, II 803 ut procul ille Tenditur effusi vi gurgitis, II 1067 ut tellus saepe tumescit etc.

„Ut semel"=simulac invenitur: II 91 ut semel haerens constitit.

„Ceu" particula, quae nunquam in communem usum recepta, sed poetarum epicorum et lyricorum propria est (cfr. Hand. Tursell. II p. 45) apud Avienum aliquoties ex imperativis verborum sentiendi pendet: II 196 Aspice ceu rutilis vibret lux Gnosia flammis, II 1137 Inspice ceu dextra referatur ab aequore planta, III 772 Contemplator item, ceu se mare flectat in austrum.

Comparatur praeterea particula „ceu" res similis, quae aut eiusdem est generis aut habet, quo conveniat. Idem igitur est quod „quemadmodum" „ut". (cfr. Hand. Tursell. II p. 46): III 884 ceu vaga saepe Fors rapit exactos patria, III 1336 Ceu species chombo est.

Eodem modo, quo particula „ut" adiectivis addita iudicium restringitur, „ceu" particulam usurpatam invenimus: II 78 verso ceu fixa trahuntur Olympo, II 139 Ceu circumflexo sinuantur flumina lapsu, II 134 neque ceu molita parumper flectitur, II 147 curvo ceu circumclusa dracone, II 360 obvia ceu vibrant obtutibus, II 285 ceu Siriaco torretur spica calore, cfr. II 1561.

Lucretium imitatus (cfr. Draeg. II p. 640) semel Avienus particulam „ceu" in exemplo cum coniunctione „si" con-

iungit: II 918/20 ceu . . . si quis prora nitatur ab alta In puppim proferre pedem.

Obsoletum dicendi genus Avienus sequitur „equidem" cum persona tertia coniungens: II 636 Grandibus haud equidem stellis micat.

Priscorum poetarum usu Avienus „adeo si" esse vult idem ac Graecorum εἴ γε: II 1643 Circumfusa adeo si cingula nescia solvi Servarint speciem.

Hoc loco commemoranda est Avieni consuetudo, qua variationis sive metri causa adductus priorem enuntiationem secundariam coniunctione temporali „cum", alteram enuntiationem secundariam coniunctione condicionali „si" cum enuntiatione primaria coniungit: II 1716/20 Cum procera salum repetit Ardea, cum defigunt spicula muscae Et si nocturnis ardentibus undique testis Concrescant fungi, si flammis emicet ignis, II 1722 – 24 cum patulum torrens Vulcanus aenum Scintillas flamma circumlabente relinquit; Si notus humentis Libyco trahit aethere nubes, II 1410 – 16 vis hoc cum fudit in auras Venarum . . . . . Si minor haec madidi substantia subrigitur, II 1418 – 21 vis autem siccior olli Cum fuit . . . . . si maior protinus umor Consurrexit homo, II 1450 – 54 primi cum surgit luminis igne, Tertia cum rutilat, cum maior sideris aethram Scandit . . . Haec castigato si tertia fulserit ortu, II 1560—64 cum primos educet gurgite voltus . . . . Et si tranquillo convexa concurrerit astro, cfr. II 1192 – 1195, II 670 – 673, 1634 – 37.

„Sive-seu" scriptum est: II 1546/47 Sive ille occiduas vergat declivis in undas Seu se luciferis reparabilis exerat oris.

„Sive-seu-aut-seu-seu" invenimus: II 277/86 sive est genitor tibi Iuppiter, Seu patris Astraei clarum es genus, Aut Pelusiaci magis es dea litoris Isis, Seu tu diva Ceres, seu quae pernicibus alis etc.

„Ac" particula tertium membrum adnectitur: II 830 Sunt mediae flammae, steriles, ac lucis egenae, III 1124/26

Ver habuere suum nova gramina, flore frequenti Pinxit terra sinus, ac nymphis unda cucurrit Largior etc.

Eodem modo „et" particula usurpatur: II 70, 524 etc.

Maxime autem ab usu dicendi solito Avienus particularum copulativarum variatione recedit. Particulis enim „que-et" duae res diversae inter se coniunguntur, ubi „et-et" exspectamus: II 103 feras ursasque et plaustra vocare solemus, II 184 spirarumque sinus et fortia vincula laxans, II 374 lucemque et fata superstitis aevi exosus, II 1408 astrorumque vice et mundi ratione trahantur, II 1585 Silvarumque comas et celsa cacumina flectent etc.

Alterius generis sunt exempla, ubi particulis „que-et" in enumerandis rebus aut rei eiusdem qualitatibus secundum et tertium membrum primo adnectuntur: II 20/21 Auctor agendorum propriique patrator amoris Et mundi vere factus pater, II 115/16 Nescia signa salis nocturnique inscia casus Hospita et insanis aquilonibus, II 461/63 face vertex Ardet anhelanti geminamque fundunt Lucem umeri et summis lux aestuat ignea plantis, II 1242/44 manum aurigae reliquam celsumque corusci Verticis et dorso qua spina attollitur, II 1566 Nube carens purusque comas et splendidus orbe, cfr. 1711, 1776/78, 1817/19, III 113/14, 341/43, 383/85, 563/65, 674 etc., IV 562/64 etc.

„Et-que": II 1111/12 lepus et procyon primique pedes canis, 1729 caelo et Thetidi terrisque supinis, III 31/33 Maeotida Tethyn Intrat et freta pellit Ismaricique riget flabris aquilonis, III 71/72 sterilis regio est, et inhospita Aret humus, cassaeque solo torrentur harenae, IV 316/17.

„Que-et-et": III 1296/97 Oritas Aribasque et veloces Arachotas Et Satram infidum.

„Et-et-que": II 1100/02 rutilans, Et flagrans . . . et splendens . . . Heridanumque trahens.

„Et-que-que": II 1685/87 et nebulas se tendere, Iamque florum volitare senectam Stellarumque comas rumpi.

„Que-atque“: II 1297/98 capra plantaque Adque haedi.

„Ac-que-et-que“: III 621/24 Ac consurgit Ebusus, Sardiniaeque arces, et Corsica Aeolidesque dehinc se edunt Insulae.

„Et-ac“: II 1219/20 Amborum capita et palmas geminas ophiuchi Ac primam rutili spiram serpentis.

„Ac-et“: III 171/73 sese marmora ponti torquent, ac flexu lubricus errat Gurges, et exesas inlabitur unda lacunas.

„Et-atque-que-et“: II 340/42 fraus et furor Adque amor chalybis segnisque libido Et lucri rabies.

Ille usus, iam poetis aetatis aureae notus, quo „non“ aut „nec“ pro „ne“ aut „neve“ cum coniunctivo vel primae vel secundae vel tertiae personae ad significandas res vitandas aut vetitas adhibentur, non deest in Avieni carminibus. (cfr. Draeg. I. p. 312): II 656 non tum freta turbida pinu Quis petat! II 863 non sit tali sub tempore vertex Clarior! II 1560/62 Non hic diversos colores proferat, I 25 nec tantum miseri videar possessor agelli, IV 456 nec stupori sit tibi.

Eodem modo „haut“ usurpatum est in enuntiato optativo: II 1633/35 haut tibi rursum Ebria sanguineae subvolvant vellera nubes.

„Ut haud“ in enuntiato consecutivo invenitur: IV 646/49 tanto fastigio subducitur Meridianus sol ut oppositu iugi Conspicuus haud sit.

„Et ne“ invenitur: II 1683 premat ut tenuis vis obvia plumas et ne pos tergum pateat.

„Nec“ aut „non“ cum notione negativa copulatur, ut efficiatur affirmatio: II 589 Non nunquam, 1594, II 1128/30 Nec . . . non est nota dies.

Denique „nec“ negationem Avienus usurpavit loco structurae adversativae (germanice „und doch nicht“): IV 16 neque sat sit istud, III 892/93 Haec dicenda mihi; nec diri gurgitis umquam Lustravi pinu freta barbara, nec vagus orbem reptavi.

E. De casuum usu.

1. De accusativo.

a) Accusativus transitivus verba sequitur, quorum significatio principalis est intransitiva:

II 17/18 rite hunc primum, medium adque secundum vox canit, II 54 mortalem loqui docuit convexa deorum, II 524 caelum citus currit, II 132 currentibus aequor, III 332 hi celeri currunt pede harenas, II 1378 quom facili rate curreret aequor, III 893/94 vagus orbem reptavi, II 1119 cauda salum superat (i. q. e salo superat) II 1542 tempestas ruet aestum (idem usus apud Lucretium et Vergilium invenitur. cfr. mare ruit arenam Lucret., venti mare ruunt a sedibus imis Vergil.) 1522/23 lampada lunae pascitur, cfr. Verg. G. 3,314 4,182 Aen. 2, 471, II 1406 caeli callere tumultus.

Hoc loco observandum est passivum personale quod dicunt nonnullorum verborum: II 1128 flagratas chelas, II 266 flammantur umeri, II 1258 flammata sidera, III 180 penetrantur litora fluctu, II 737 sata penetrata calori, III 1015 fomes adoletur. (eodem modo Vergilius et Ovidius illud verbum usurpaverunt.)

b) Accusativus pendet ex verbis compositis, quae poetarum vel prosae posterioris propria sunt: (cfr. Draeg I p. 377 sqq.): accedere III 1135, 338, 910, 704 (eadem iunctura iam apud Sallustium invenitur) adiacere II 977, III 565, 589, 677, 812, 837, (Nepos, Livius alii scriptores posteriores idem habent) adflare III 275, 411 (idem Vergilius et Livius) adlabi II 320 (hic locus addendus est loco, quem Draeger e Verg. Aen. 9, 474 affert) adludere (raro apud poetas invenitur) III 782, advolare II 694, 633, antevenire II 677, circumlatrare III 578 (cfr. Sen. ad Marc. 22,3) circumsonare III 830, circumtonare III 149 (eadem ratione Horatius aliique poetae posteriores utuntur) circumfluere III 668 (idem invenitur a Varrone et Ovidio usque ad postrema tempora) concurrere II 1564 si tranquillo

convexa concurrerit astro, (exemplum huius usus Draeger non affert), decurrere II 208, III 1020 impiger agros Incola decurrit, 1300 (apud Draegerum hoc compositum desideratur), defungi II 763 illa marinas Jam defuncta vias (Draeger hoc compos. non affert) desudare III 1114 (Draeger: „desudare“ „ausschwitzen“ im Spätlatein) crepere III 1146 crepunt ardua culmina (Draeger hoc compositum non affert) excedere III 241, 463, 732, IV 328 (hic usus inde ab Livio et Ovidio percrebuit) exuperare III 746 Exuperant undas IV 408, (Plin. maior idem habet) incubare: III 529, IV 236 (eadem ratio apud Apuleium invenitur) incumbere III 457, 698, 839, IV 291 incidere III 878 (iam apud Sallustium et Tacitum) influere III 571, 831/32 trinoque sinu vagus influit aestus Unam Asiae molem (Draeger hoc compositum non affert) inlabi II 740 inlabitur herbas Sirius, III 163 (Draeger: „Unsicher“ Cic. legg. 2, 15, 39 illapsa civium animos.) inrumpere III 143, insidere III 1220/21 pinus subit Inseditque locos (Draeger: nur bei Silius) invigilare III 1316 pars ebur invigilat (Draeger exemplum non affert) intererrare IV 219, 627, 486 (Draeger hoc compositum non affert) interfluere III 234 (idem usus apud Curtium, Plinium maiorem, Tacitum invenitur) interfundi III 255 (Draeger hoc compositum non affert) interlabi III 1092 (idem apud Ammianum) internatare IV 129, 410 (Draeger hoc compositum non affert) interstare III 840 (haec iunctura apud unum Avienum occurrere videtur) oberrare II 1586, 1854, III 667 (Draeger hoc compositum non affert) praecellere II 1019 (Seyffert Lat. Gram. 5. Aufl. Vorrede: praecello ist archaistisch) praeludere III 1365 (Draeger hoc compositum non affert) praeiacere III 251 Draeger: „nur bei Tac. ann. 12,36) praelabi IV 251 (apud poetas et Petronium), perstrepere II 1675 (Draeger hoc compositum non affert) pererrare III 1184, 859 (apud poetas et scriptores posteros) perreptare III

1284 (Draeger hoc compositum non affert) supereminere III 610 (idem usus apud Vegilium et Ovidium invenitur) supernatare II 1412 (Draeger non affert) (Transitivum „supermicare", quod Draeger Avieno tribuit, Hist. Synt. I p. 381 in Avieni carminibus non exstat) succedere II 305, 991 etc., III 1212 etc. (iam apud Ciceronem p. domo 44, deinde apud Livium et Tacitum).

c. De verbis affectuum cum accusativo copulatis pauca habeo, quae dicam. Nam haec verba fere omnia etiam ab optimis solutae orationis scriptoribus nonnunquam transitive usurpari satis constat. Sed quamquam non magnus numerus eius modi verborum in Avieni carminibus invenitur, exemplis allatis etiam Avienum hoc dicendi genus secutum esse elucet. E. g.: exosus II 375 lucem et fata exosus, flere III 312, horrere II 778, II! 310, hiare II 668 lucra hiantis, lacrimare II 592 lacrimare ruinas, lugere II 586, miserari II 189, 212, 224 etc, pavere II 1827, stupere III 254, tremere III 311.

Accusativi limitationis vel relationis, quem vulgo dicunt Graecum, in Avieni carminibus magnus numerus exemplorum occurrit.

α) Accusativus pendet a verbis mediis vel passivis. In illa structura plerumque participium perfecti passivi cum accusativo relat. coniungitur.

Qua in re tractanda imprimis cavendum est, ne omnes accusativos participiis perfecti passivi adiunctos ex imitatione quadem usus graeci ortus ducamus. Nam cum desit liuguae latinae participium perfecti activi, non est mirum poetas participium perfecti passivi vi mediali — ut ita dicam — usurpasse et cum accusativo iunxisse. (cfr. Schroeter „Der Accus. nach passiv. Verben in der lat. Dichterspr." Glogau 1870 p. 6).

Mediali vi sunt haec participia: II 142 effusum artus cfr. II 239, consertus manum utramque II 235, afflictus

oculos II 240, pectora pressus II 240, lacerata genas II 330, cincta caput II 588 cfr. III 889, diffusam comas II 593, conversus viscera II 825, tectus umerum II 877, intecti artus III 1144, protenta caput II 893, pectora mersus II 1229, lucis caesa facem II 1402, subvecta faces II 1466, acumina tenta II 1466, devoti pectora III 1088.

Sed aliae etiam formae passivae verborum mediali vi cum accus. relat. copulatae, satis crebo occurrunt: II 539/41 Huic si flectaris lumina inque notum inclinere oculos, II 553 nectuntur caudas, II 634 tenditur ora II, 642 declinatur laevam, II 687/88 brachia Cepheus Protentasque manus mediamque inmergitur alvum, II 982 canis artus conditur extremos, cfr. II 1267/68, II 1110 Non iste genu, non laevam plantam occulitur, II 1121 celatur caput II 1148 membra erigitur cfr. II 1213, II 1165 verticem et ulnas mersatur, cfr. alia exempla II 1198, 1249, 1701, 1281, 1357, 1569, III 1104 (Cum igitur ille usus in Arateis frequentissimus sit, in reliquis Avieni carminibus nusquam nisi in „Descriptione orbis terrae" semel occurrit.

β) Accusativus pendet a verbis intransitivis: II 395 adsiduis ardet leo viscera flammis, II 226 insignis ardens venas, II 596, (cometas) vultum ardere diu cfr. II 730, 1124, os flagrans et guttura coruscans II 638, II 903 viscera lucens, II 1009 caput hic equus eminet, II 1100/1 Orion, rutilans ardentia cingula Et flagrans umeros, II 1238 extantia laevum umerum, alia exempla: II 1287, 1488, 1493, 1565, 1668, III 977, 511, 1084, 1089, IV 293.

γ) Adiectiva huic accusativo subiuncta haec sunt: arduus rigidos artus II 227, conpar tanta volumina II 242, certa gradum II 287, integer artus II 485, pectora liber II 1229, cana comas II 613, longos insignis artus II 648, membra minor II 695, curvus caudam II 700, mollis dorsa II 706, medios artus taeter

II 708, viscera plurimus II 1092, II 1103 villoso colla leone, II 1205 prona caput, II 1568 ora cavo, II 1613 ora laboranti similis, III 1263 latus inclinatior, III 674 multa latus, glaebamque ferax, cfr. IV 702, 625, 110, V 5, III 319, IV 609 aliaque.

Accusativi praedicativi, quo adiectivum statum significans, qui verbi vi demum efficitur, prolepsi quadam attributi loco obiecto transitivo additur, haec exempla adnotavi: III 641 artaque praecipitant properum confinia pontum, III 865 constrictumque tenent hunc frigora, IV 230 caligo semper nubilum condit caput, II 1489/90 plenum luminis orbem Cynthia distendit, II 1580 cum praecipites pelagó deus inserit ignes, III 1141 Qua plaga fecundis alit almos flatibus agros, II 1750 Nubila nec crassos circumduxere meatus, II 1630/31 Qualem luna lucem hebetat, II 1671/72 cum traxere tumorem aequora prolixum, III 128 Obliquumque quatit gurges protentior altum II 1204 Deformemque trahit ruinam (cfr. III 800 Icarus aerio consurgit vertice in auras).

His exemplis addo locum, ubi „nomen habere" cum accusativo praedicativo coniunctum est: II 1506/7 Hoc, quod vehit mundus, aera nomen habet.

Similis ille usus dicendi est, quo Avienus Livii morem secutus accusativum obiecti anticipatione quadam cum verbo in unam notionem coniungit: IV 105 non abiete curvant faselos, IV 394 plerosque curvat sinus, III 75 innumerosque sinus curvat, III 361 portus cavat ora frequentis, III 176 spiras sinuat draco, III 1272 rigidas curvant labentia (flumina) ripas.

Accusativus verbalis vel obiecti interni, quem vocant:

a) Verbo substantivum eiusdem stirpis (figura etymologica) vel similis significationis additum est: II 328 aurea vixerunt saecla parentes, II 618 chelys, quam lusit Mercurius, III 709 ludunt festa, III 889 Orgia ludentes, II 1053

quem cum signiferi graditur sol aureus orbem, III 193 pelagi caput incipit Imbro (Avienus principium vel ingressum terrae „caput" nominare solet) II 1023 urgentur viam similem.

b) Obiectum est adiectivum generis neutrius. In lingua antiqua hic usus rarissimus est, saepius iam apud Ciceronem invenitur, latissime patet apud poetas aetatis Augusteae (cfr. Draeg. I p. 387): II 1742 vespertinum cornix resultat, III 707 blandum strepit ales.

Hoc loco commemorandus est accusativus ille adverbialis „hoc genus" attributi loco semel usurpatus: (cfr Lat. Gram. von Stolz und Schmalz. p. 232) I 26 ut genus hoc arbos.

Accusativus localis, quo locus significatur, ad quem motus tendit: II 66 Musa ut Cecropios raperetur et Aonas agros, II 180 Hesperidum venisse locos, II 1571 borean iaculetur luminis igne, III 339 se Nilum trahit (Siris), III 795 Carmanis qua se pelagi procul invehit undas, IV 384 Nullus carinas aequor illud intulit.

De dativo.

Consuetudinem sermonis Graeci secutus Avienus dativum sociativum verbis „certare", „miscere", „haerere" subiunxit: III 1090 Et tamen his celsi certant fastigia templi, II 1545, astrorumque duci haerent, II 1842 gregi cupiant haerere, cfr. II 933, II 1357/58 alii nunc aurea Titan Lumina miscetur, III 935 gregibus permixti.

Dativus pendet a verbis compositis,

a) quorum simplex est verbum intransitivum (cfr. Draeg. I p. 407 sqq.): adiacere IV 200, 252 (idem usus apud Livium et posteriores invenitur) adhaerere: IV 224 (hoc ab Livii temporibus percrebuit) coire III 410 ambae producto coeunt sibi caespite terrae, cfr. III 550 1334, II 803, 1590 (huius usus localis Draeger exemplum non affert),

concinere III 9 Concinat et Phoebo vester chorus (Draeger hoc compositum non affert) inhiare II 1852, IV 525 (iam Cicero hac iunctura utitur) inhaerere II 1294, III 1223 (usitatum) inesse IV 189 (semel Cicero off. I § 151 hoc compositum cum dativo coniungit, sed a Sallustii temporibus dativus saepe occurrit) inlabi III 20 (dativus apud poetas invenitur) imminere II 963, 436 (dativus omnibus temporibus saepe invenitur) interlabi II 44 tenebris hic interlabitur aethra (Draeger hoc compositum non affert) obluctari III 190 (idem est apud Vergilium et scriptores posteriores) obrepere II 289 (hoc iam Ciceronis filio notum fam. 16, 21, temporibus Senecae minoris denuo invenitur.) obmurmurare II 491 (Errat igitur Draeger cum scribit „nur Ovid". occursare II 1426.

Hoc loco memoranda sunt verba composita cum dativo coniuncta, quibus vis medialis inest: adfigi II 243, circumfundi: orbi unda circumfunditur IV 81, convolvi II 87 stilus instabili convolvitur orbi, inclinari III 1012, invehi III 1172, infundi III 105, inlabi III 20, inseri IV 139, interfundi IV 582 Saxis duris pelagus interfunditur, obvolvi II 1652, suppingi II 471 Andromedae capiti suppingitur Alvus equi, subvehi II 409, 644, subvolvi II 379, superfundi II 1757.

b) quorum simplex est verbum transitivum: adflectere II 734, admovere II 1051, 1284, III 51, attollere II 1239, III 784 attrahere II 1250, circumfundere II 1535 si duo se lunae circumfudere, conferre III 402/3 ambas conferre sibi, eximere IV 368, (primo post Chr. nat. saeculo eximere plerumque cum dativo coniungitur, Cicero hoc non habet) inclinare II 894, III 321, IV 663 indere II 1565, III 716, inferre II 106, 442, IV 239, infundere II 44, 408, 711, IV 709, inmittere II 418, implicare II 1021 imponere II 26, insinuare II 312/13 longis navita terris insinuare

ratem susceperat, cfr. IV 149, inserere II 499, 779, 889, 1057 etc., invehere IV 297, subicere III 273 soli subiecta cadenti. Omnia haec composita cum dativo coniuncta de loco, non translate dici observandum est.

Poetarum more Avienus dativum cum verbis movendi coniungit, ut terminus significetur, ad quem motus tendit. Qui usus, cum a prisca lingua alienus sit, raro iam apud Ciceronem et Caesarem reperitur, (cfr. Draeg. I p. 426) sed familiarissimus est poetis aetatis Augusteae, E. g.: II 956/57 manus extima acri Subrigitur boreae, II 1117 cedit delphinus pelago, II 1253 Totaque tum pelago caelo descendit ab alto, II 1279 recavo redeunt maris, III 438/39 (Hister) in eoos convertitur axes, Euxinoque salo provolvitur (Erravisse igitur, videtur A. Holder, qui in indice verborum editionis „Euxino salo" ablativum esse contendit.) II 1792/93 cum commovet ortus Vergilias pelago, III 642 Qua se parte celsae notus erigit aethrae, IV 664/65 Ut in supremos ignem Hyperboreos agat, Achaemenioque semet ortui ferat, III 1105 Alpheus Illaesum optatae flumen ducens Arethusae, III 225 porrecta mari terrae iuga.

Dativum auctoris verba passiva sequentem, quem loco praepositionis ab positum dicunt, Avienus his locis usurpavit: 249 (brachia) Formidata truci Orioni, II 449 tibi ut linquatur, II 705 dilectam domino navis, cfr. III 621, 701, II 714 Sunt digesta mihi, II 920 via carpitur olli, II 1645 Phoebo nubes percussa, II 737 valido penetrata calori, II 1783 nutrimenta latenter sibi operata, II 1787 si quid tibi repertum, III 1067/68 populis Phoenicibus Urbs Iope habitatur, III 1267 Incolitur solum populis tribus, cfr. II 1514, 655/56, III 1321, 14, 286, 820 etc., IV 3, 71, 480 etc.

Dativum, quem vocant commodi et incommodi, loco genetivi subiectivi saepe ab Avieno usurpatum esse scit, qui lectione eius carminum imbutus est. Hunc usum ut

elegantiorem poetarum magis proprium esse Landgrafius contendit. (cfr. Lat. Gram. von Stolz und Schmalz. 3. Aufl. München 1900 p. 245). Qui usus, cum a prisca lingua non alienus sit, apud Ciceronem perraro invenitur et in oratione soluta ab Livii demum temporibus percrebrescit: II 389 adoletur dextera cancro, II 433 Sic pecori frontem asperat ignis, II 1151 Centauro diffunditur extima cauda, III 1259/60 cuncta teguntur auro membra viris, III 47 quis orbi limes haberetur, III 790/91 inmodici late patet oris hiatus feris, III 485 surgit caput Appennino, II 996 Hic luci modus et tenebris pensatur, II 1213/14 caput et turgentia membra Centauro exuperant, II 1243 dorso qua spina attollitur alto, cfr. II 1439/40, 1661, 838/40, 1518.

Eodem modo dativum commodi et incommodi usurpans Avienus genetivum subiectivum pronominis relativi vel demonstrativi cum illo dativo commutat: I 13 spisso quibus arta cohaeret granorum fetura situ, II 514 aciem quibus aurea luna retundit, III 192 extimus olli in Tenedum cursus, III 780 latus autem olli agmina pecoris adludunt, II 264 in membris lux olli maxima vibrat, II 810 haud tamen istis lux multa micat.

Dativi ethici haec exempla habes: II 1633/35 haut tibi ebria sanguineae subvolvant vellera nubes, II 284 sic tibi flagrat arista, II 1759 si nocturna tibi cornix canit, III 449/50 aequora tibi surgunt, III 803/4 hae tibi Carmine sunt dignae, II 1329 Promat ut ingressi solers tibi tempora mensis.

Cum communis generis dicendi proprium sit dativum ethicum tantum personae primae atque secundae pronominum personalium usurpari, (Ovidius quidem scribit Fast. 6, 173 piscis adhuc illi populo sine fraude natabat cfr. Lat. Gram. von Stolz und Schmalz p. 245) Avienus etiam dativum „sibi" eodem modo scribere solet: II 350 Diva spatium sibi subvecta per auras, III 293 Maior vasta sibi trahit aequora Syrtis, III 905 sinus sibi pelagus trahit, II 18

hunc primum Vox secreta canit sibi, II 1061 nox atra sibi trahat otia, II 1337 Effluxisse sibi medii iam tempora mensis, IV 466 Sibi sonorus Alebus amnis effluit, II 1330 facem quarti sibimet profitebitur ignis, II 1011/12 Tris omnis contentos Distantisque pari spatio sibi transigit axis.

More Graecorum dativum relationis sive iudicantis Avienus semel in descriptione geographica usurpavit: III 646/48 in Hadriacam lembum cogentibus undam, Et laevum curva pelagus sulcantibus alno, Insula se Grai Diomedis gurgite promit.

Dativus finalis apud Avienum raro occurrit: IV 456 nec stupori sit tibi, IV 696/97 despectui Derisuique inscitia haec sit.

Dativus finalis gerundivi non minus rarus: II 924 Longa volutandis tamen ollis tempora currunt, II 1072 curvet celando ut litora mundo latius.

Dativus sequitur adiectiva et participia: adversus II 918, amicus III 1094, 1127, 1147, adsuetus II 106, aptus II 1185, congruus II 1659, congradus II 1240, communis II 303, consors II 935, 1093, conterminus II 692, 1139, III 1268, contrarius II 851, 921, infestus II 1763, inimicus II 773, obnoxius II 297, obvius II 922, penetrabilis II 1683, pronus II 1205, prona caput solio, cfr. II 255, proximus III 1287, similis II 259, 1604, 1613 (gen. II 666) vicinus II 1311, 1420, III 1134.

De genetivo.

a) Cenetivus partitivus.

In usu huius genetivi pertinentis ad neutra sive singularia sive pluralia pronominum vel adiectivorum Avienus propius ad Tacitum videtur accedere, cui illa structura maxime placuit (cfr. Draeger I p. 448 sqq.)

α) Neutr. sing. II 146 sublime verticis, II 195 sublime umerorum, II 159 cuius in extremum, II 959/60 ab ipso

verticis extremo, II 899 spirarum medio IV 494 stagni medio, IV 299 per medium soli, II 1038 Signiferi in summum, II 1055/56 Illius . . . . quantum, Tantum telluris, cfr. III 1163/64, II 1098 gurgitis alto, II 1155 Marmoris profundum cfr. 150, II 1194 Andromedae quidquid, cfr. IV 52, 252, 370/71 quidquid Undae aestuantis, IV 549, (cfr. exempla e Livio deprompta apud Draegerum p. 450) II 1217 relicum serpentis, II 1242 celsum Verticis, II 1279 recavo maris II 1343 minus Umbrarum, II 1409 Aeris inmadidi quiddam, II 1449 vario Formarum, II 1510 borealis verticis altum, II 1512 aestatis rutilo, III 1075 Litoris extremo, IV 5 id laboris, IV 273 hoc (abl.) locorum, IV 26 parvo aquarum, etc.

β) Neutrum plur. II 23 rerum fluitantia, II 72 per multa operum, cfr. IV 40, II 79 cuncta signorum, II 170 in proxima mundi, cfr. II 1854, III 1344, 872, IV 505, II 179 medii secreta diei, cfr. IV 22, II 189 acerba laborum, II 247 Ariadnaeae vicina coronae, II 301 omnia rerum, cfr. II 1860, II 377 caelique in celsa, cfr. IV 306, 508, 647, II 411/12 in geminorum Laeva, II 441 summa poli, cfr. II 1272, II 544 pinnae extrema, II 590 in convexa poli, cfr. III 470, II 698/99 omnia caeli, Omnia terrarum, cfr. II 939, 1110, III 414 cetera terrarum, II 715 pluvialis concava in austri, cfr. II 1765, II 758 extima puppis, cfr. II 1193, III 1050, 1335, II 917 in summa poli, II 966 in postrema leonis, cfr. II 980, 1505, II 995 ima noti, alta aquilonis, II 1084 tergi plurima, II 1115 Astrorum numerosa, II 1222 salis alta, cfr. III 372, 392, IV 372, II 1235/36 gurgitis profundi Ima, cfr. II 1521, 1764, IV 53/54 post cava Hiantis orbis, IV 140 inter arta cautium, IV 183 in haec locorum, cfr. IV 266, III 20 terrarum cavis inlabitur, III 116 per inhospita terrae, 422, III 281 per aperta locorum etc. etc.

„Unus“ semel cum genetivo partitivo coniungitur: III 89 horum unus.

Aliud exemplum genetivi partitivi minus usitati habes: III 1254 Asianarum primi (Persae) degunt regionum.

Genetivus qualitatis attributo non adiecto est: IV 267 via est diei. Simili modo illum genetivum Avienus usurpavit: IV 173 bidui cursus.

Genetivus qualitatis non memorato genere, cuius species est, legitur: IV 18 te esse patuli pectoris.

Variationis studio adductus magna licentia Avienus genetivum qualitatis cum aliis structuris miscuit: IV 18 te esse patuli pectoris, sensu capacem, IV 309/10 Erythia est insula Diffusa glaebam et iuris olim Punici, II 26/27 sexuque utroque Adque aevi pariter gemini, IV 446 litus vacuum incolarum et abiecti soli, IV 614/15 augusti laris Tenuique censu civitas Polygium est,

Genetivi qui vocatur appositionalis exempla tam crebro occurrunt, ut haud sciam an dicam Avienum totam, quam habuerit, vim poeticam illo genere dicendi effudisse neque tamen saepe congeriem verborum inelegantem evitavisse.

d) Genetivo indicatur, quorsum aut quatenus pertineat aliqua res: II 22 tenebarum vincula, II 34 diei infusi rutilum iubar, II 34/35 noctis tenebrosos amictus, cfr. II 1551, II 41 per tumidi freta gurgitis, cfr. III 1286, 773, 892 etc. II 100 Tethyos undosae cetosa fluenta, III 1134/35 fluentum Persidis, II 344 vada gurgitis ultima, 915, 1140, 1583, III 120, 157 etc., II 439 aequoris undas cfr. III 56, 313, II 589, 800 etc., latices fontis alumni II 502, Oceani salum II 504, III 11, 267, IV 204, stagna sali II 972, 991, Oceani in aequor II 1030, 1169, III 78, 653 etc., Atlantei aequoris aestu II 1076, 1224 etc. III 1283 etc, Oceani gurgite II 1153, III 34 etc., IV 102 etc., terga profundi II 1392, III 154 etc., IV 400 etc., Eufratae liquor III 1156, III 750, salis in fluctus III 1191, IV 296, pelago Rubri aequoris III 1291, sali marmora III 57, 171 etc., Erythraei dorsa profundi III 68, 217, sali fluxus III 396, III 334/35 pinguia Nili Flumina (cfr. Dion. perieg. v. 221 *πιοτάτοιο*

ὕδατα Νείλου), cfr. III 366, summae confinia caudae II 161, III 420, 879, 1056, boreae auras II 871, III 1265 etc., flabra aquilonis II 201, 770, 872 etc. III 33 etc., IV 240 etc., venti spiritus IV 236, favoni fecundis flatibus III 1140, III 195, II 213 acerbum leti supplicium, II 221 aeriae incendia flammae, impia Bassaridum dextera II 627, cfr. III 374, rutili orbita solis II 651, 976, lux ignis mundani II 670, 1450 etc., III 1130, caerula tegmina noctis II 675, venenatae agmine caudae II 845, 1268, III 1158, 781 agmina cetosi pecoris etc., aggere murorum III 382, 926, frons tenta Pantareidis arcis III 684, chorus ingens feminei coetus III 751, venenatae disiecta volumina caudae II 984, agri viscera hiantis II 999, saetosa species capricorni II 1048, 1158, Minoae clara coronae serta II 1080, II 1333 orbis medii formam, III 256 forma maris, II 1629 obducti forma diei, matutini litoris acta II 1602, III 682, 142, 1055, curva litoris ora III 82, picturati pectoris artus II 1681, lucis substantia II 1720, rupti sola caespitis III 1027, 388, 884, Sordicenae glaebae solum IV 568, Caespitis gemini tellus III 143, aequora glaebae ditis III 1137, 1238, 885, arva Gallici soli IV 638, terga soli III 94, IV 606, caespitis proni dorsa III 194, Coliadis dorsa rupis III 774, cfr. III 233, 421, 458, per omnen spiritus nostri diem IV 10, III 960/62 triformis ora canis superas produxit in auras Alcides Erebo, II 1314/15 nascentis Agmina prima Padi. Sed iam haec enumerasse exempla satis est, multo enim plura praebent carmina, quam ut omnia afferre liceat.

β) Creberrime Avienus hunc genetivum ita adhibuit, ut substantivum, ad quod pertinet, adiectivi loco positum videatur ac genetivo indicetur, quod potissimum erat dicendum: II 373 inclementia belli, II 574 celsae pondera molis, III 354 plantarum moles, II 238, 712 etc., Asiae molem III 832 etc., II 397 caerulei momenta caloris, II 678 prolixarum rigor antemnarum, II 1300 cristae rigor arduus, II 922 vis aethrae cfr. II 1557 flammigeri vis solis, 1810/11,

III 19, 395 etc., vis beluarum IV 410 etc., spira anguis II 1005, senescentis dispendia mensis II 1342, obductae dispendia formae II 1492, raucisoni indignatio poli II 1390, nebulosarum tractus piceos tenebrarum II 1549, cfr. III 188, aeriae fulgor facis II 1552, facis ardor eoae II 1155, rubor ignis II 1659, florum senecta II 1686, aeris horror II 1733, II 211 Charon Thesidae fata vehebat, procerarum fluctus palmarum III 1203, magicae furor artis III 1223, alipedum cursus equorum quatit sola III 1245, cfr. III 607, II 292/93 cum sincera priorum Vita hominum nullis ageret sub legibus aevum, umbra noctis IV 672, flammarum honore II 151, dulci modulamine vocum VII 9, montium minae IV 138, ritulae incunabula lucis III 275, aequoris infusi procursibus III 554, III 901 facis incrementa, per Cocyti tenebras II 210, 44 etc., etc. Et haec quidem hactenus, nam exemplis allatis satis elucere videtur, quantopere Avienus hunc genetivi usum adamaverit.

Genetivus chorographicus (cfr. Lat. Gram. von Stolz und Schmalz p. 234) nominum, quae populum vel partem terrae significant, in Avieni carminibus creberrimus est: E. g. Cappodocum gens III 1152, 855, 490, 1281, 1310, 1342, IV 111, 223, 300, 346 etc. Multo rarius nominativus invenitur: III 1345 gens Sodri, III 536 gens Hylli, III 871 gens Eniochi (Quamquam haud scio an his locis pro nominativo genetivus singularis sensu collectivo scriptus sit, cum Avienus numerum singularum saepissime ita usurpaverit), III 1347 populi Peucaleum, cfr. III 1361, 422, 327 etc. IV 201, Toretarum genus III 867, Persidis in pontum III 1162, terram Persidis III 1271/72, pelago Rubri aequoris III 1291, III 449/50 aequora Panticapaei Ardescique (cfr. Dion. perieg. v. 314 *'Αλδήσκοιο καὶ ὕδατα Παντικάπαο*), flumina Gangis III 1364, 856, 894, flumen Araxis III 917, Malachae flumen IV 426, Rhodani fluentum IV 631, Heridani fluenta III 425, Illisi stagno III 585, Aegaei gurges III 689, Euxini marmora III 720, III 1351/52 Hemodi rupe (cfr.

Dion. perieg. v. 1146 *ἀπὸ δ'οὔρεος 'Ημωδοῖο*), prominens Ophiussae IV 171/72, Arvi iugo IV 172, Pyrenae iugum IV 472, cfr. III 129, IV 489, 609, Gerontis arx IV 263, Zephyridos arcem IV 238, fertilis Aeginae tellus III 679, Lunae insula IV 367 etc.

Singulare est exemplum: Herma caespitis Libyci IV 444.

Genetivus nominum populorum saepe pro adiectivo attributivo est: IV 400 Salum Indicorum, III 842 Indorum in pelagus, III 113 Ligurum aequor, Lyciorum ora III 1011 685, III 45 sinus Arabum, III 833, caespite Paphlagonum III 227, 678, immensis Arabum undis III 268, limes Abantum III 698, Maurusiorum (in solo) est Abila IV 345.

Promiscue genitivum et adiectivum attrib. bis usurpavit: III 45 sinus hic Arabum, sinus hic Aegytius, IV 344/45 Calpe in Hispano solo, Maurusiorum (in solo) est Abila. More rerum scriptorum Avienus saepe nomen populi pro terra, quam populus incolit, posuit: velut III 976 Mysos sulcat Chius, III 1142 Barbara montivagos tellus extendit Erembas=sedes montivagorum Eremborum, IV 205 Ana amnis per Cynetas effluit, IV 251 flumine, quod inquietos Vasconas praelabitur etc. — Inderdum nomen terrae et populi miscuit: III 970 usque Arabas et longa Syrae confinia terrae, III 1099 Arabas Syriaeque solum. — Saepius quoque nomen terrae pro incolis terrae usurpavit: III 461 sola pinguia Pannonia exercet, III 312 Maesta paludivagos Germania flevit alumnos, II 826 notium vocat istum Graecia piscem, II 944/45 Sic zonam Graecia solers Concelebrat etc. – Respicias quoque velim audaciam illam dicendi: III 419 „Flavaque caesariem Germania porrigit oram", qua vertit Avienus illud Dionysii: *λευκά τε φῦλα νέμονται ἀρειμανέων Γερμανῶν* (cfr. v. 285 Dion. perieg.).

Genetivus pronominis personalis „sui" loco possessivi pronominis est: IV 291/92 mons Argentarius, Sic dictus ex specie sui (cfr. lat. Gramm. von Stolz und Schmalz p. 236).

Genetivus subtantivo subiectus, ubi dativum exspectas, occurrit: II 25 Hic (Iuppiter) digestorum speciem dedit.

Genetivum relationes adiectivis subiectum Avienus praeter ceteros scribere solet. Quare omissis illis adiectivis ut „conscius, nescius, expers, inmemor", quae ex communi optimorum scriptorum more cum genetivo relationis coniunguntur, illa afferam, quae minus aut omnino non usitata sunt: IV 165 herbarum abundas, II 601 anceps numeri, III 747 caespitis amplae, III 1151 Sinopen gurgitis attiguam, II 856 certa procellarum, IV 133 Cassum incolarum, cfr. III 602, 938, conpar solis II 948, luminis crassior II 1459, digna poli II 283 (reliquis locis hoc adiectivum semper cum ablativo coniungitur), III 1326 horum dives, cfr. III 948, docta sali III 383, lucis egenae II 830, 1338, feta pruinarum II 860, fertilis herbarum III 983, ferax olivi IV 495, 518, sidereae facis indiga II 252, 736, 1135, 1491 etc. IV 213, ieiunas herbae III 1147, Bacchi inexpertes III 920, 1390 inmensus modi III 40, inopina mali II 1400, invida veri II 1288, insaturata cibi II 1838, magnus modi III 1351, opima virentum III 674, orba cultorum IV 442, 608 parcior rutilae facis II 512, prodigus herbarum III 360, satur luminis II 1094, vacuam nominis sui IV 157, 446, 478, herbae viduus III 939.

Participia praes. cum genetivo coniuncta haec inveni: ruris amans II 1379, sali metuens IV 141.

De ablativo.

a) Poetarum more Avienus, prout metro aptum erat, verbis, in quibus notio separandi inest vel similis, praepositionem (a, de, ex) aut adiecit aut omisit.

α) Ablat. separat. pertinet ad verba simplicia: II 91 motat loco, II 220 polo iaculatus fulmina celso, II 448 declivi si visum tramite vergas, II 494 nullo manaret gurges hiatu, II 499 Helicone cadens, II 573 vero si fluxit

fabula fonte, II 614 si se gurgite tollunt, cfr. III 683, I 11 (ratis) quam solverit Libyco navita portu, cfr. II 677, II 681 matutino veniens aequore, III 8 toto Helicone venite, II 684 gurgite liberat artus, II 785 fusum caelo Phaetonta, cfr. II 1636, II 1186 antris vomit, II 1507 quod spirat caespite tellus, II 1641/42 maior se nimbus urgebit caelo. II 1662 ruet altis nubibus imber, cfr. II 1807, III 926, IV 668, summa nebulas se tendere rupe II 1685, II 1724 humentis Libyco trahit aethere nubes, cfr. II 1846, III 247, imo turgescunt profundo III 559, salo promit caput III 794, III 648, ut oris omnibus veheret gazas etc.

β) idem pertinet ad composita: II 1843 matribus abscedant, III 1165 saxa iugis avulsa, III 595 fluctibus attolluntur Echinades, II 1115/16 virgine eoo Consurgente freto, cfr. III 666 etc., II 626 Carmina Pleiadum numero deduxerat, II 650 australi descendit axe, cfr. II 989, II 1687/88 aethere celso decidere, III 1241 Demittunt pharetras umeris, III 1343 delapsum saxorum mole, III 357 obliquo solem decurrere caelo, II 875 fluctu discedat eoo, III 861 Hic Asiam Europa disterminat, II 507 educit pectora ponto, II 1025 elata profundo, cfr. II 1059, 1710 etc. III 12, IV 604 caespes editur salo, cfr. III 355, 623 etc., III 628 effundere carcere ventos, II 732 mento gravis effluit ardor, III 127 emergit pelago, cfr. III 629, II 1719 si flammis emicet ignis, II 93/94 Oceano pars erigitur, cfr. III 675 etc., IV 228, II 176 aetas Eruit excussis arcana exordia rebus, III 116/17 flabra boreae se eructant caelo, II 1296 aurigam salsis evolvunt fluctibus, cfr. III 29, III 423 caeruleum Padus evomit antro flumen, II 861 terra excita nubila, II 1684 excedere ponto, III 1225 saxis excudit cfr. III 1323, III 885 exactos patria cfr. IV 641, II 1288 cetera sunt exempta salo, cfr. III 729, III 509 unda vadis expuit algam, II 417 Oceano sese expediere, cfr. II 1212, II 504 Oceani salo caput exserit, cfr. II 1145, 1547,

III 1157, III 634 terna iuga porrigit undis, II 1224 aestu procedunt, cfr. II 854/56, 1310 etc., III 961/62 produxit Erebo, II 892 prolata salo cfr. II 1032, III 248 Cimmerio prolapsa sinu, III 1370 prorepunt crine chelydri, II 1171 proserpens pelago, III 876/77 istius antro agmina provolvit, cfr. III 1352, II 489/90 Helicone redeuntem, cfr. II 1360, III 731 ponto subit insula, II 430 aequore surget, cfr. II 769 etc., IV 494 III 1032 Pegasus hoc olim suspendit caespite sese, II 631 semet sidereo ponto sustollunt.

Adverbium procul cum ablativo coniunctum est: II 510 procul astro.

Usitatissimus est apud Avienum ablativus loci omissa, „in“ praepositione: II 315 insano penderet profundo, II 416 ipsius fine manus suspice flammas, II 522 non longa aries statione locatus, II 1394 actaea retinet statione phaselum, II 567 vestigia cano aere pandit, II 869 nautis fluitantibus alto, II 934 inconcussa retinentur sede, II 1512 calida stat Juppiter aethra, II 1177/78 plurimus ardor pectore flagravit, II 1166/67 scorpius acer Nascitur Oceano, II 1237 ista polo rutilant, II 1314 suspectat navita ponto etc. etc., III 998 laetis adsurgunt gramina campis, III 1096 Ceres campo flavescit aperto, III 1167 palus medio distenditur agro, cfr. III 1180, III 322 patulis Nigretes finibus errant, III 707 culminibus cavis strepit ales, III 876 Huius valle Phasis gemit, III 1252 quaerunt campis amethystos, castris sedentes I 14, nullo floreat horto I 26, ambarum medio Neapolis arcem subrigit III 301, gentes, quae sparsae litore longo III 389 etc.

Non minus saepe ablativi loci „parte“, „regione“, „axe“ inveniuntur: II 60 qua parte, cfr. II 881, III 642, parte utraque II 1091, parte alia II 1124, diversis partibus II 1691, parte eoi mundi II 1080, cfr. IV 288, II 1262/63, III 561 etc., regione noti II 1668, cfr. III 277 etc., axe Lycaoniae facis III 54, cfr. III 968, 349, 364, 1059 etc., II 952.

Ter Avienus ablativo modi usus est, ubi ex more scriptorum optimorum „cum" praeposito addenda erat: III 1275 Incola studio sectatur achatem, III 172 flexu errat gurges, II 1450 primi surgit luminis igne.

Ablativus qualitatis non indicato genere, cuius speciem significat, est: III 339 Nomine claro Nilum, III 517 Croton priscis muris, III 663 locupleti Cercyra sulco.

Eodem modo, quo genetivus qualitatis (cfr. IV 173 „bidui cursus") ab Avieno ablativus qualitatis usurpatus est: IV 699 cursus carinae biduo et binoctio est.

Ablativus relationis sive limitationis multo rarius ab Avieno usurpatur quam accusativus relationis: IV 19 te esse sensu capacem, III 324 pedibus pernix, III 461 altior agro, III 805 parvas specie, IV 338 non plus habere longitudinis modo, III 900 tantum fuso profundo, III 30/31 (Tanais) iam suus unda effluit, II 946 similisve colore circulus. Promiscue quoque Avienus accus. relat. et ablat. relat. usurpavit: III 330 Corpora proceri, nigri cute, viscera sicci, III 747 Hae numero geminae, pingues sola, caespitis amplae.

Ablativus originis: Participia, quibus origo alicuius significatur, Avienus saepe cum nudo ablativo coniungit, etiamsi originem remotiorem aut terram nominat, unde aliquis ortus est: VII 11 Sanguine Sisifio generatus Ulixes, II 625 musa satus (Orpheus), IV 46 Damastus nobili natus Sige, IV 47 Rhodoque Bacoris ortus, II 385 asinos ortos Thesprotide terra, V 3 lare cretus Vulsiniensi, II 217 ortu cuiquam generato Deucalioneo, II 576/77 has genitore creatas Longaevo, II 1409 quiddam tellure creatum.

Ablativus auctoris omissa „a" praepositione est: II 278 Themide in terras demissa parente's.

Ablativus instrumenti locum praepositionis „ex" habet: IV 103 non hi carinas pinu texere, IV 105 non abiete curvant faselos. — Ablativus instrumenti loco praepositionis

„in" cum accusativo coniunctae usurpatus est: III 176/77 (draco) se orbe colligit inclinans, III 356 caedens partibus aethram. Locum praepositionis „a" habet: II 1317 vero indice discat.

Inveniuntur etiam loci, quibus Avienus poeta, ut sermonis vigorem augeret, pro eo, quod exspectas, subiecto vel obiecto, ablativum instrumentalem scripsit, genetivum autem generis, quem esse opus erat, subiectum vel obiectum fecit: III 838 tellus longis tenditur arvis=telluris longa arva tenduntur, III 147 longo caespite tellus funditur, III 191/92 Non aliud tanta consurgit mole profundum, Non sic curva Thetis fluctu tumet, III 432 glaucoque rotat agmine molem Gurgitis, III 839 Asiam incumbit vasto mons aggere Taurus, III 111 dorso consurgit Calpe II 888 Pelius adsurgit dorso, III 428 rigidis insurgunt rupibus Alpes, III 701/2 Thasus se proserit vertice, III 800 Icarus aerio consurgit vertice, III 925 ingenti flumine dissicit Oxus, III 600 hic celeri Cephisus volvitur unda, III 139 se aquis Hadriatica marmora fundunt, cfr. III 214, qualique rubent incendia flamma II 354, IV 517/19 Callipolis, quae laris vasti ambitu stagnum premebat etc.

Exempla ablativi comparationis sunt haec: II 75 maior agit mentem solito deus, II 1602/3 si Phoebum maiorem solito produxerit, II 269 reliquo sidus magis aestuat astro, II 483/84 haut minor illa quattuor est primis, III 83 alter est primo brevior, maiorque duobus.

Ablativus copiae et inopiae adiectivis subiectus rarus est: IV 97 metallo divites (genetivus ex illo adiectivo aptus est: III 948, 1326) IV 510 ager vacuus lare (genetivus legitur: IV 157, 446, 478), VI 6 fenore liber, III 307 iugera grege nuda iacent et sunt cultoribus orba (orbus cum genetivo invenitur: IV 442 orba cultorum, IV 608), II 347 Ebria ut externo splendescat lana veneno, cfr. II 272 Ebria flammanti consurgit stello rubore.

F. De usu praepositionum.

„A" praepositione Avienus saepe utitur, ubi ablativum causae aut istrumenti exspectamus: II 183 serpens victoris ab ictu occubuit, II 959 praestringitur ales ab ipso Verticis extremo, II 1761 Si matutino fringuilla resultat ab ore, III 154/55 sic Itala tellus A circumfusis lambitur undis, III 607 cumbae ducatur cursus ab unda, III 636 pars tepet ab zephyro Lilybeia, III 686 ubi exesae sinus est telluris ab alto, III 816 Quantus harenarum numerus versetur ab euro, III 1062 salso quidquid pulsatur ab aestu, III 1104 ab gemino sale cingitur, IV 192 confundi aequor inmundo a luto, IV 295 cum sol ab igni celsa perculerit iuga.

Adjectivum „purus" cum praepositione „a" copulatum invenimus: II 1455 Pura sit ut foedis ab sordibus.

Denique „a" praepositio interdum metri causa posita est, ubi „ex" praepositionem malumus: II 550 Troicus haurit aquas funditque ubi ephebus ab urna, III 620 Insula se propter Gymnesia tollit ab alto, III 712 Nec minus attolluntur Ionides insulae ab alto, III 734 Haec maris infusi consurgunt insulae ab alto, III 769 tum coeaneis crepit ab undis Insula.

Praepositiones „a" et „ex" iunguntur: IV 249/50 plurimi ex ipso ferunt Dictos Hiberos; non ab illo flumine IV 260/63 Graia ab ipso lingua cassiterum prius Stannum vocavit . . . . . . namque ex ea Geryona quondam nuncupatum accepimus.

Idem significat praepositio „de": III 955 plebemque suo de nomine dixit.

Pro praepositione „de" praepositio „a" usurpatur: II 755 Sirius alto Defluit ab caelo, II 1253 Totaque tum pelago caelo descendit ab alto, II 1159 velut alto ab aggere prospiciens.

Interdum „a" praepositio adhibetur ad indicandum locum, ubi aliquid positum est: II 1016 Quas ab diversa

mundi regione locatas, II 1693 si duri limite ab euri, III 221 ab laevis, III 590 partibus ab zephyri etc.

Praepositione „ad“ comparatio exprimitur: IV 190 Vitri ad nitorem, II 625 Musarum ad speciem.

Semel „ad“ praepositio significatione finali adhibita est: IV 105/6 sed rei ad miraculum, Navigia iunctis semper aptant pellibus.

„Ad vicem“, quae structura verborum praeterea apud Gellium tantum invenitur (cfr. Draeg. I 581) bis in Avieni carminibus occurrit: IV 170 ad stagni vicem, IV 489 vicem ad ferarum.

Eodem modo quo „a“ praepositionem „de“ Avienus usurpat: III 457/59 medii de parte diei . . . Gerrhae habitant, III 239 tepidi de parte noti, II 1159 boreae de parte trucis, III 1336 zephyri de partibus. Promiscue usurpantur praepositiones „a“ et „de“: II 1159 Sed boreae de parte trucis velut aggere ab alto Prospiciens, II 1693/95 si duri limite ab euri, Si regione noti, . . . Aut de Bistonio mundi procul axe coruscat.

Semel „de“ praepositio est pro ablativo originis, quem Avienus ceteroquin usurpare solet: III 857 Threicio de Marte satae.

Plurimos possum afferre locos, quibus Avienus Vergilii auctoritatem secutus „in“ praepositionem scripsit ad eventum designandum: II 414 in spatium membra explicat, II 98 in optutum facilis, II 1326 Phoebe in cornua surgit tenuia, II 1402 teretem concrescit in orbem, II 1419 in celeres dissolvitur ventos, II 1501/2 quae edixerit Ignis in plenos, II 1806/7 brumae in frigora cedit autumnus, II 1875/76 lucis haec semper semet in octo Inscia lunaris tendunt facis, III 250/51 ardua Taurus In iuga consurgit, III 525 in patulos proiecta Calabria campos, III 544 in caeruleos mutati membra dracones, III 726 cedit in antra sinu rupes, III 891 in fluctus adsurgit Caspia Tethys, III 952 Erigitur celsa in fastigia prisca Sinode, III 1014/15 celsam surgit

in arcem Prisca Lide, IV 125 in profundum terga dimitti maris etc., etc.,

De usu finali „in" praepositionis haec habeo, quae afferam: II 191 manus dei violentia in verbera pendens, II 156 in nutum veluti curvata, II 615 curvas in flava novalia falces exercere, II 624 fila novem docta in modulamina movit, II 1276 partem supera in convexa sonoris Fluctibus absolvit pelagi, II 1342/43 quibus in rutili confinia fratris Tertia vix mundo superest via, II 1795/96 Si capra in Venerem pergat, III 1145/46 non ollis pabula in usum Terra parit, III 1191 salis in fluctus qui cumbam navita texit, III 1239 Exercent saevi se semper Martis in arma, III 1372 dux aquilas in bella rapit, IV 220 Castrorum in usum et nauticis velamina.

Ad indicandam distributionem „in" praepositio usurpata est: II 300/01 neque iam discretio campum Metiri in dominos monstraverat.

Interdum „in" praeposito cum ablativo coniuncta tempus exprimit: II 36 nec desit genitis pater ullo in tempore rebus, II 178/80 Amphitryoniaden primaevo in flore iuventae Hesperidum venisse locos, II 618 Est chelys illa dehinc, tenero quam lusit in aevo Mercurius, II 1498 Nec vulgo in cunctis adsunt praecepta diebus, II 1588 primo nascentis solis in ortu, II 1620 Lucis in occasu.

Nonnunquam „in" praepositionem Avienus adhibuit loco genetivi subiectivi aut pronominis possessivi: II 329 Degener in vobis animus=vester animus, II 923 Unicaque in solis adolent incendia flammis=Unicaque solarum adolent incendio flammarum, II 1674 cum proceris vertex in montibus ultro perstrepit=cum procerorum montium vertex, III 78 primus in orbe sinus=primus orbis sinus, III 1257 dives in his mos est=horum mos dives est.

Praetera „in" praepositio usurpatur ad definiendum tempus, ad quod aliquid extenditur. Ille dicendi usus apud argenteae demum latinitatis scriptores invenitur (cfr. Draeg.

I. p. 655): II 1502/3 hinc in dispendia rursus Altera provisae signantur tempora lunae, III 1163 in septem quantum via carpitur ortus, IV 182 in quinque soles est iter.

Eodem modo „in" praepositio locum signifcat: II 358 Plurima quippe procul claram fax ardet in arcton, III 968 Axe noti in fauces rapidi procul Hellesponti, III 1049/50 Totam Asiam celsi praecingi vertice Tauri Extima in Indorum.

„Inter" praepositio permultis locis nihil aliud significat nisi „in" seq. ablativo: II 296 inter confusos populorum coetus Versabare libens, II 1637 sole rutila inter stagna morante, II 1735 inter prima, II 112/13 puer agrestis inter Curetas et inter Dictaeae latuit crepitacula rupis, III 604 Inter turicremas Phoebum vidimus aras, IV 110 Haec inter undas multa caespitem iacet, IV 122 plurimum inter gurgites Extare fucum, IV 140 inter arta cautium duxit diem, IV 553 populus agebat inter avios locos, IV 705/6 tenuis via Patet inter undas.

Interdum Avienus „per" praepositionem loco ablativi instrumentalis cum verbis motum quendam significantibus coniunxit: I 16 multiplicemque trahunt per mutua vellera pallam, II 157 Qua per dimensos dimittitur ordo meatus, III 211/12 Seu quod collisas Thetis indignata per arces Saeviat obiectis, IV 515/17 Callipolis illa (quae per altam) moenium Proceritatem et celsa per fastigia Subibat auras, IV 578/79 propria per dispendia Caespes cavatur.

Eandem „per" praepositionem Avienus libenter et prioribus scriptoribus multo saepius ita usurpat, ut, quamquam diffundendi quaedam sententia etiam inest, tamen appropinquet ad solam praepositionis „in" ablativo iuncto vim, id quod haud scio an Graecae praepositionis „κατά", exemplo sit effectum: III 422 per inhospita terrae Vitam agitant, III 658 Ionii per terga Libyrnides adstant, III 715/16 Lesbus et Tenedus per aperti marmora ponti Expediunt arces, III 776 ingenti consistens mole per undas, III 936 Vellera per silvas Seres nemoralia carpunt, III

1211 Medica prolixos spectabit regna per agros, IV 52 Quidquid per aequor insularum attollitur, IV 190/91 per profundum marmoris Coeaneam in undis esse certum imaginem est, IV 467 per undas insula est Gymnesia, IV 513/14 (harenae) Per quas Salauri oppidum quondam stetit, In quis olim prisca Callipolis fuit.

Praepositio „prae" translate scripta est, ut significet rei cuiusdam prae altera praestantiam: IV 20 esse te prae ceteris Memorem intimati.

Eadem praepositio causam significat, item ac „propter" tam in negativa quam in affirmativa sententia: IV 184/85 aegre est fides Narrationi prae rei miraculo, III 363 prae cunctis stupeas.

Cum adiectivis „prae" copulatur ad augendam vim: praedurus III 524, 1304, IV 488, praepinguis III 588, praeclarus II 138, praepotens IV 277.

„Simul" praepositionis locum habet: III 285 Coniugibus natisque simul.

Maior autem licentia videtur esse, qua Avienus, „sub" praepositionem usurpavit:

1. condicio exprimitur: IV 276 sub fide verum.

2. Indicatur aliquid esse subpositum auctoritati sive momento alterius rei (cfr. Draeg. I 661), quo modo iam Livius, Horatius, Tacitus saepe vocabulo „sub" utuntur: II 154 duo sub geminis oculi fulgoribus ardent, II 177 dura sub lege tyranni, II 293 cum vita hominum nullis ageret sub legibus aevum, II 432 Cornua sic vera sub imagine curva dehiscunt, II 532 haut simili sese sub limite tendit, III 401 Ambae Asiam rursum simili sub limite tangunt, II 561 Persea sub volucri par est tibi quaerere forma, II 579 sex sese tenui sub lumine reddunt, II 733/34 Qui formidato sub nomine Sirius aethram Urit, II 822 nec certo sub nomine cuncta feruntur, II 844 face sub tenui tenebrosus marceat ignis, II 1610 magnis Cum madefacta dies sub tempestatibus horret, II 1731/32 tranquillo tenduntur clara

serena sub Iove, III 413 hoc agili sub mente tenens, III 174/75 virosorum prolixa volumina cerastorum sese facili sub viscere curvant, III 566 sub folii specie, cfr. III 76, 240, 612, IV 436 Ex se vocari sub sono Graio dedit, IV 551 etc.

3. Locus designatur, infra quem aliquid positum est, qui usus apud optimos scriptores occurrit: III 81, IV 401 etc.

4. Praepositione „sub“ cum ablativo coniuncta atque vi temporali adhibita diversas res aut actiones eodem tempore fieri significatur (nos: während). Haec propositionis significatio apud Ciceronem nondum invenitur (Draeg. I p. 662): II 321 sub nocte propinqua, II 863 tali sub tempore, II 1345 sub mense renato, III 216 purpureo sub orto, III 762 nocte sub inlustri, IV 690 sub priore saeculo. — Semel illa praepositione tempus nondum esse exactum significatur (nos: gegen): II 1791 Fine sub autumni.

Bis praepositio „super“ cum ablativo coniuncta locum significat III 526 super arenti tenduntur Iapyges agro, II 1307 (manus) Iuge manet celsisque super subdicitur ursis.

Translate loco praepositionis „de“ „super“ est scriptum: IV 412/13 Haec olim Himilco Poenus Oceano super Spectasse semet et probasse rettulit, IV 691/92 multa Rhodano super narrare.

Ut poetae et imprimis scriptores minus bonae latinitatis Avienus saepius praepositionibus „adusque“, „inusque“ „abusque“ usus est: adusque: IV 148, 437, 491, 508, 533, abusque: II 169, 214, 714, IV 83, inusque: IV 56, 472, 526, 610, 647.

Usque praepositionem, quae a scriptoribus aureae aetatis cum urbium nominibus copulatur, Avienus Livii exemplum secutus etiam cum aliis substantivis coniungit: II 254 usque ferinam effigiem, II 247 Usque Ariadnaeae vicina coronae, IV 301 usque Cempsorum sata, III 970 Usque Arabas et longa Syriae confinia terrae.

G. De nominum numeralium usu.

Poetarum more pro numerali cardinali Avienus saepe habet numerale multiplicativum cum distributivo, quorum multiplicatione numerus cardinalis efficitur: II 199 trina ter inlustrant lumina, II 910 per bis sena signa, II 1051 his se bis senis sol admovet, Huc quoque referenda sunt illa exempla: II 710 bis gemino discreta situ, IV 289 ore bis gemino.

Numerale multiplicativum cum cardinali coniungit: II 1353 bis sex signa.

Pro numerali cardinali interdum distributivum usurpat: III 473 speculis adsurgens trinis, III 633/34 trinis laterum procursibus-ternaque iuga.

„Trinus" idem est quod triplex: II 1528 trino tramite, II 1538 trinus ambitus, II 1786 trino flore, III 149 trina unda, III 364 trina frons, III 831 trinoque sinu.

Eodem modo Avienus „geminus-unicus" usurpavit: II 1529/30 Et geminus plerumque meat, solet unicus idem Cingere, si simplex circumversabitur orbem.

Numerale cardinale „unus" invenitur loco numeralis ordinalis: II 360/63 unus ob ora praeminet ignis, altera, qua pedibus regio est clunalibus, ardet Stella genibusque dehinc se tertia promit Aemula, III 474/76 unus Hiberos Limes habet, limes tenet alter denique Graios, Ausoniae medius protendit latius arva, III 1267/70 Incoliturque solum populis tribus, una sub arcto Pars agit, Altera per mediae telluris terga vagatur: ad flabra noti tertia degit.

„Duo" Avienus interdum ita adhibet, ut idem sit quod „οἱ δύο" III 299/300 duabus Syrtibus (in versu 301 legitur „Ambarum medio") II 1050 Tum duo sunt pisces (cfr. II 802 geminos pisces) II 1653 duo propter asellos Suspice, II 947/48 modus et mensura duobus Est conpar solis, alios duo parcior artat Linea, III 828 similis est forma duabus (columnis Bacchi).

H. De verbis.

1. Verba simplicia pro compositis sunt: linquere=relinquere II 2, 100, 338 etc. III 226 etc. IV 247 etc., capere=percipere II 744, 1444 etc. III 1044, IV 3, flere=deflere III 312, 426, iungere=adiungere III 586, caedere=incidere III 356 =circumcidere II 1333, 1402, 1491, ligare=circumligare III 49, 1129, IV 285, memorare=commemorare II 489, 528, III 10, 943 etc., venire=convenire III 8, trahere=attrahere I 31, II 85, locare=collocare IV 474, ferri=circumferri II 86, nectere=conectere II 553, 1022, tendere=protendere II 804, 1418, 1466 etc., III 1011, 1056 etc., currere=percurrere III 332, ferre=auferre II 373, fodere=effodere II 901, mergere=demergere II 94, 905, 1229, haerere=adhaerere II 1842 =inhaerere II 933, volvere=convolvere II 1049, labi=delabi II 1079, 1359, cadere=decidere II 499, 1081, ferre=efferre II 1218, spirare=exspirare II 1507, fugere=effugere II 1234, promere=depromere II 1329, ruere=irruere II 1400 =corruere II 1542 =deruere II 1662, 1807, vomere=evomere II 1410, III 743, sorbere=absorbere III 1342, fundere=effundere II 496, 1410, 1422 etc., =profundere III 1157, 1282, 1294, luminare=illuminare II 1452, scandere=ascendere II 114, 1350, 1452, ridere=arridere III 1120, ducere=adducere III 1175, claudere=occludere III 1335, vehere=evehere II 314, manare=emanare II 494.

2. Neque Avienus veritus est saepe verba composita eis locis recipere, quibus simplicia desideramus: e. g. cognominare IV 253, 270, 570, 645 etc., III 245 innavigare IV 167 concelebrare II 945, adstare II 632, III 318, 633, 785, 824, IV 527 etc., contueri IV 687, proferre IV 488, producere III 385, 1243, 1256, concedere III 219, protrahere III 1038, erepere III 283, accolere III 1288, IV 300, oberrare III 284, reparare III 348, absolvere III 178, (cfr. III 602) contorquere III 788, converti II 510, demorari IV

361, protentare II 286, commovere II 1077, ad
II 1405, pertingere III 986, desulcare III
excrescere III 1206, deducere III 1002, conitor II
effugare IV 156.

3) De generibus verbi:

a) De verbis intransitivis cum obiecto coniunctis
supra disputatum est.

b) Verba transitiva intransitive scripta: vibrar
196, 264, 360, 742 etc., tenere: IV 89 sed loco
tenent, IV 136/37 in ista, quae per horrentis tenent Ple
que dumos, trahere II 1449 Sed species diversa (Cy
trahit, demorari IV 361, inserere II 1712 I
internis terrarum sedibus aestus, durare II 1626, pa
pium praesentis verbi animandi III 4, obtinere II

c) Restat, ut hoc loco de absoluto verborum
dicam. Omnes autem hic affere locos, quibus aut c
aut notionem quandum desideramus, longum est. Q
illis verbis, quorum obiectum omissum ex versibus
rioribus aut proximis facile suppletur, praetermissi
respicio, quorum obiectum incertum aut commune, u
dicam, videtur esse. Exempla enim satis demons
absolutum verborum usum ab Avieno alienum non
Sunt haec verba: agitare III 282, 391, 1062, IV
accolere III 537, 1288, IV 300, agere II 890, III
856, 883 etc., IV 553, colere III 5, 113, 250 etc., i
lere III 352, 960, degere III 574, 870, 907, 971,
etc., sulcare III 146.

d) Familiarissimus Avieno ille verborum passiv
usus est, ut in iis vis medialis sit, sed sine ullo discri
metri causa formam activam plurimorum horum verb
cum pronomine reflexivo „se“ coniungit: abdi II
1168, adfigi II 243, adoleri II 389, attolli II 612
circumfundi II 1013 etc., III 393 etc., IV 81, curva
1003, III 16 etc., converti II 133, 510 etc., III 90
conduci II 857, III 564 etc., convolvi II 87 etc. III

etc., circumvolvi II 356, 843, etc., condi II 982 etc. III 748 etc., celari II 1108, 1121, circumversari II 1530, collidi II 1673, dimitti III 1351, IV 125, distendi III 224, 538 etc. IV 217 etc., declinari II 643, deduci II 1034, diffundi II 1151, III 69 etc., dissolvi II 1419, discingi II 1569, deferri II 1618, explicari IV 65, 84 etc., excitari IV 168, erigi II 94 192 etc., III 701 etc., IV 228, extendi III 98 etc., IV 382 etc., evolvi II 241, III 120, 156 etc., IV 595 etc., edi II 752, 1192, IV 604, efferri II 65, effusus II 239, 804, IV 390 etc., flecti II 974, 135 etc., III 189, IV 666, fundi II 246, III 148 etc., IV 285, ferri II 63, 86 etc., inseri IV 139, inferri III 207, IV 235, 239 etc., interfundi III 255, 1100, IV 370 etc., inclinari II 413 etc. III 1012, IV 693, involvi II 1853, III 237 etc., infundi III 105, 555 etc., immergi II 688, invehi III 1172, IV 359, intentus II 1161, III 335 etc., locari II 1044, moveri II 1123, III 206, motari III 550, monstrari II 594, mergi II 1026, 195, 755 etc., mersari II 1166, 1200, 1249, misceri II 1358, occuli II 1110, IV 653, obvolvi II 1652, pandi II 1001, III 67, 217 etc., IV 152, 206, etc., provolvi III 112, 439 etc., IV 285, porrigi II 529, III 90 etc., IV 339 etc., produci III 635, IV 405, protendi II 273 etc., III 40 etc., promi II 1142, protolli II 1217, pasci II 1523, quati IV 169, reserari II 203, referri II 818, 913, 848 etc., revolvi II 998, reparari II 1141, reddi III 1274, rotari II 459, rumpi II 1687, subduci II 1307, III 589, IV 334 etc., sinuari II 139, III 82, IV 578, sustolli II 486, 686 etc., III 65, 848 etc., subrigi II 957, 1417, III 810 etc., subvolvi II 379, submergi II 1055, supinari II 1481, superfundi 1757, tendi II 422, 458 etc., III 68 etc., IV 151 etc., trahi II 78, III 130, V 8, torqueri III 101, 764, tolli II 849, tegi II 1169, tenu-

ari II 1737, volvi II 140, 202 etc., III 2, 366 etc., vestiri III 102, verti II 149, III 1232, versari II 882 etc.

e) Verba decomposita haec occurrunt: edisserere IV 71, 631, supereminere III 610, repercussus II 1017, exsurgere II 1346, praesurgere II 1599.

f) Participia perfecti verborum deponentium vi passiva scripta:

Aoniis orsis III 5, per dimensos meatus II 157, dimensa lege II 1044, famosa commenta II 258, nutrimenta operata II 1784/85.

II. De enuntiato simplici.

1. Constructio q. d. ad sensum. Ad nomen collectivum numero singulari scriptum numerus pluralis verbi refertur: II 326 Parcite, vile genus! IV 345/46 Abilam vocant gens Punicorum. — Insolentius est, quod Avienus saepe singularem et pluralem miscuit: III 1374/75 Ergo et Nysaeos discit gens rite recessus et stata sollicito deducunt orgia ritu, III 1348/49 gens haec obnoxia Baccho (est) Et glaebam sulcant et ritibus orgia ludunt, III 1312/16 Pars subit abrupti sola caespitis, aurea et illis Terrarum in latebris excludant caute metalla: Pars telas statuunt, et vestimenta laborant Lintea: pars Indi procurat segmina dentis, Atque ebur invigilat (cfr. Sil. Ital. Pun. IV 18), III 1002/4 Maeonis hic etiam deducit turba choreas: Aurea subnectunt haec vincula, ... atque sacris feriunt ululatibus aethram, IV 552/54 Sordus populus agebat Ac pertinentes, I 13/16 Illa precor mittas, spisso quibus arta cohaeret Granorum fetura situ, castrisque sedentes, . . . socio latus agmine quadrant Multiplicemque trahunt pallam.

Aliam structuram habes: IV 132/34 caespitem Ligurum subit Cassum incolarum: namque Celtarum manu, Crebrisque dudum praeliis vacuata sunt.

Hoc loco commemorandum est Avienum interdum pronomen demonstrativum aut relativum non ad substantivum eiusdem enuntiati, sed enuntiati superioris referre: IV 341/42 Hic Herculanae stant columnae, quas modum Utriusque haberi continentis legimus, III 1230 Haec Asiae dixere fores, II 5/6 iste paterni Principum motus, vis fulminis iste corusci, IV 49/50 tum qui decus Magnum loquendi est, Atticus Thucydides.

2. Saepissime adverbia cum verbo „esse“ coniuncta praedicatum efficiunt: IV 16 neque sat sit istud, IV 164 post pelagia est insula, IV 255 Cartare post insula est, aegre est fides IV 184, IV 243, multa propter est palus IV 496, 603, III 867, IV 263 Gerontis arx est eminus, IV 265 hic ora late sunt sinus Tartesii, IV 471 late insularum dorsa sunt, IV 431 oppidum Menace super (est), III 1153 iuxta sunt ostia Thermodontis, III 576 Iuxta Argivus ager, iuxta sunt culta Laconum, IV 590 Heliceque rursus hic palus iuxta (est), cfr. III 320, 713, 1153, III 921 His cibus et potus simul est, IV 241 Iugum inde rursus (est), II 1047 Brachia sunt itidem chelarum et scorpius ipse, II 1640 erit imber item, II 1826/27 fuga protinus est avium.

3. De ellipsi verbi.

Praeter usitatam illam omissionem verbi substantivi in enuntiatis quibusdam brevibus, ut in exclamatione vel affectus significatione (II 654, 1173, III 6, 729, 1117) ellipsis saepissime apud Avienum invenitur in enumeratione aut descriptione. Omissus est indicativus verbi substantivi „est“; II 5, 6 sqq., 10, 32, 37, 93, 96, 98, 164, 253, 329, 359, 485, 532, 538, 574, 777, 854, 1029, 1092, 1205 etc., III 16, 17, 22, 115, 117, 193, 278, 286, 300, 408 etc., IV 223, 391, 498, 520, 544, 700 etc. Deest „sunt“ II 664, 988, III 50, IV 499. „Es“ subaudiendum est II 284.

Participiis perfecti aut futuri passivi saepe verbum „esse“ non adiungitur: II 79, 250, 299, 543, 1599, III 892,

971, 1048, IV 227, 250, 361, 477, infinitiv. esse II 577 1784, IV 250.

Idem adverbiis non additur: III 320, 576, 713, 867, 947, 1148, 1348, IV 431, 590 etc.

Imperfectum subaudiendum est: II 311, III 289, IV 271.

Futurum subaudiendum est: II 1041, 1563, 1877, III 262.

Semel coniunctivus „sit“ desideratur: II 1, Carminis incentor mihi Juppiter!

De aliis verbis omissis pauca commemoranda sunt. Subaudiendum est „abest“ II 1710/11 aspera quippe Tempestas gelidusque dies ei frigidus aether, „agit“ II 1146 crus scorpius ipse.

4. De temporibus et modis.

a) Praesens historicum invenitur: II 350/47 fraus ilicet et furor ardens Adque cruentus amor chalybis segnisque libido et malesuada lucri rabies subit, omnia terror Degener ac maestae facies formidinis implet . . . . vada gurgitis ultima versat Tiphys, Agenoreo color hinc mentirier ostro Incipit Assyriumque bibunt nova vellera fucum, Ebria ut externo splendescat lana veneno, II 375 frater sortem efflagitat aequam, II 376/78 Protinus germanos Juppiter attolit caelique in celsa receptans Aeternae flagrare facis iubet ignibus ambo, II 1186 Dirum antris animal saevos vomit hostis in artus, II 223/25 Deicit – iubet, III 1217/19 Haec cum Pandionis letum componeret aulae, . . . Proditur, inque fugam propere convertitur exul, III 1384 sqq., 1377 sqq. 1382 sqq. III 492 etc.

b) Minus logica quam metrica ratione motus Avienus praesens historicum et praeteritum promiscue usurpavit: II 1187/89 ut falcatis monstrum petit Oriona Morsibus et totas in membra ferocia chelas Intulit, III 1220/21 Has post in terras pinu subit Aeetine Inseditque locos III 1362/63 vipereo late Bellona flagello Increpat, et magno

tremuerunt regna pavore, II 1368/69 solvunt properantes lintea Bacchae Vincula, viroso pectus vinxere dracone, III 310/12 pubem Latiam ferus horruit Hister Romanasque aquilas Rhodanus tremit, Italidum vi Maesta paludivagos Germania flevit alumnos, III 616/18 Tyrii . . . . ut tenuere caespitis oram, Constituere domos; dant hi quoque templa.

c) Praesens actionem significat, quae ex praeterito tempore in praesens extenditur: IV 528/29 nulla nam vestigia Prioris urbis asperum servat solum, IV 345/46 namque Abilam vocant Gens Punicorum, mons quod altus barbaro est.

d) Interdum prasens et perfectum ita inter se excipiunt, ut praeterito causa, praesenti significetur eventus: I 19 Divisere domos et pondera partibus aequant, II 217/23 Non tulit omnipotens . . . Moxque trisulca polo iaculatus fulmina repertorem deicit, II 348/49 Sic iusta in populos mox virginis Exarsere odia et caelum pernicibus intrat diva alis.

e) Futurum probabilitatis saepe occurrit: V 8 cetera composita fatorum lege trahentur, IV 693 at nunquam in illud animus inclinabitur, III 5 Aoniis perget stilus impiger orsis, III 413 Hoc agili sub mente tenens, velut obvia habebis Cetera terrarum, II 205 Istius extremo sub vertice, clarum nosces Ophiuchum, II 429/36 hau tibi signis Perquirenda aliis pecoris frons aequore surget Oceani, II 451/53 nec multa tamen, cum caelum lumine toto Luna replet, . . . Occurret genetrix oculis quaerentibus, II 564/6 haut tibi magni Cura laboris erit caelo spectare sereno Cornipedem. Alia exempla: II 660/61, 848, 1354, 1799/1802, 1078, 1310, 1773, 1807 etc.

f) Perfectum consuetudinis invenitur: II 930 Quattuor aerios zonae cinxere meatus, II 1377 Hic est fons, unde et deduxit tempora lunae navita. — Plerumque autem cum praesenti coniungitur: III 919/20 Ignorant flavae Cereris

commercia, Bacchi Semper inexpertes animam traxere ferinam, IV 460/62 rursus hinc se litoris Fundunt harenae, et litus hoc tris insulae Cinxere late, III 108/9 Sic discreta freto procera cacumina celsis Emicuere iugis, sic intrant saxa profundum.

g) Semel imperfecto et plusquamperfecto, cui vis imperfecti inest, Avienus utitur, ubi praesens exspectas, sane tempus illud mente repetens, quo hoc, quod dicit, comperit. (Draeg. I 280): IV 33/36 Sallustium Noram id dedisse, dicta et eius omnibus Praeiudicatae auctoritatis ducier Non abunebam.

h) Similiter tempora priora in mentem revocans et statum seu condicionem, quae aliquam actionem sequitur, potius respiciens quam ipsam actionem (cfr. Draeg. I 260) plusquamperfectum posuit loco perfecti: IV 196/98 propter hos pernix Ligus Draganumque proles sub nivoso maxime Septentrione conlocaverant larem.

i) Futurum pro imperativo est: II 1866/68 firmo venturum pectore fare. Et transactorum solers componere mensum Signa laborabis.

Semel futuro vis condicionalis inest: II 1684/90 Latipedemque anatem cernes excedere ponto Saepius et summa nebulas se tendere rupe, ... Inde etiam ventos mox adfore praemonet usus.

k) Coniunctivus finalis non addita ut particula, qui post verba volendi et imperativum verborum faciendi et cavendi omnibus temporibus in usu erat, ab Avieno raro atque in uno quidem carmine admittitur: I 4 Quaeso aliquid inde relaxes, I 13 Illa precos mittas.

l) De vi atque usu infinitivi disputationem ita instituo, ut primum de infinitivo, qui est subiectum, deinde de infinitivo, qui est obiectum, sive accusativo, sive alio casu significatur, disseram. Cum apud priscos poetas latinos verbum impersonale „est" perraro pro verbo „licet" *(ἔξεστι)* inveniatur, hic usus apud poetas aevi Augustei increbuit.

III 380 ex quo cernere sit longe Pallenidis intima terrae, II 1405 aderit cognoscere (cfr. Verg. Aen. 10, 279).

Cum infinitivo obiecti locum tenente iungitur „valere“: II 425/27 non cetera signa flammarum similem formam ostentare valent, II 1179 te dura valuit contingere dextra, III 811 Harum quis valeat numerosa ut nomina fari, IV 3 Taurici ponti situs capi et valeret, IV 364 Navigia honusta adire non valent locos.

Ab Avieno nonnulla verba, quae in oratione soluta coniunctio „ut“ sequi solet, cum infinitivo iunguntur: laborare II 1867/68 transactorum solers componere mensum Signa laborabis, niti: II 919/20 si quis nitatur proferre pedem, coniti: II 717 dicere Romuleo conitor carmine solers, annuere: II 611 Convolvi caelo summae pater annuit aethrae, certare: II 911 Nullus eas aliquo pacto deprendere certet, III 930 Tendere non horum quisquam certaverit arcus, persuadere: IV 142/45 quies et otium .... Persuasit altis devehi cubilibus Atque in marinos iam locos descendere, imponere: III 627/28 Aeolus impositus pelago est effundere carcere ventos Et sedare salum, stimulare: II 67 Me quoque nunc similis stimulat furor edere versu, subigere: IV 366 si voluntas forte quem subegerit adire fanum, IV 692 multa nos Rhodano super narrare res subegerunt, compellere: II 1844/45 cum tutas vesper adire Compellat caulas, excitare: II 1285/86 excitat idem Persea sustollere astra, permittere: II 114 Scandere flammigerum victor permisit Olypum, II 190 et talem cerni permisit, remittere: II 92 et ferri se circum cuncta remisit, dare: II 316/17 Omnia cunctis nasci dabat aurea terris Justitia, II 64/65 quae Juppiter afferri dedit, II 102 Sic astrum dici Gnidius dedit, II 104 species dat plaustra videri, IV 436 Ex se vocari sub sono Graio dedit.

Infinitivus denique pendet ex adiectivis: promptus: II 234 sed cerni sunt prompta, II 1069/60 Prompta via

est aliis venientum tempora signis Noscere, II 1321, 1349, nescius II 1643 cingula nescia solvi, par II 561 par est tibi quaerere.

m) Verba sentiendi, qua ceteroquin, si quid ipsis sensibus percipi significant, cum participio coniunguntur, in Avieni carminibus accusativus cum inf. sequitur: II 1684 anatem cernes excedere ponto, II 1790 crabronum rauca agmina si volitare conspexeris, II 1847 Lambere si lingua prima hos vestigia forte viderit, etc.

n) Persaepe Avienus participiis „praedictus", „dictus" „memoratus" ea significat, quae optimi scriptoris enuntiatione relativa solent exprimere: IV 87 dicti cespitis, IV 209 praedicti sinus, IV 208 memorato ab amni, IV 222 dictum ad amnem, regio dicta IV 443 etc.

o) De formulis periphrasticis verborum haec observamus: *α)* Participium praesentis cum formis verbi substantivi praedicatum est. Exempla huius generis apud omnes scriptores satis rara sunt: IV 141 sali metuens erat, IV 525 Lustrisque inhaerens (est), IV 392 Hic gurges oras ambiens (est). — *β)* Participium futuri: II 1680 saevitura sunt flamina. — *γ)* „Habere" cum participio perfecti passivi coniunctum est: II 569/70 locus has habet Conexas.

p) Cum apud scriptores latinos ante Augusti tempora participium futuri activi loco enuntiati finalis vel relativi non admittatur, Avienus eius usus haec exempla habet: II 51/52 ruiturae in corpora nostra prorumpunt animae, IV 649/50 cum relaturus diem Septentrionum accesserit confinia, VII 17 nocituraque carmina vicit.

q) Imperativum praesentis et futuri promiscue usurpavit Avienus: III 1044/46 Hinc solers Asiam facile cape carmine totam . . . . quattuor illam in latera effusam cordi dato.

Coniunctivus adhortativus et imperativus praesentis inter se excipiunt: III 817/18 Carmine nunc Asiam formet

stilus: incute doctam, Phoebe chelyn! totis Helicon aspiret ab antris.

Verbo precandi et orandi ut alias verbo „quaeso" imperativus paratactico ordine adiungitur: III 608/9 precor, aspirate, camenae, Inter et oppositas intendite lintea terras, II 290/92 precor, in terras Flecte oculos placidamque meis venerabilis, oro, Pande sacris aurem.

Similiter verbum credendi ordine paratactico semel usurpatum est: „Credo, ni desit magnorum congrua cura, Prompta via est cognoscere" II 1320/21.

Graecorum usum secutus Avienus in enuntiatis minoribus orationis obliquae indicativum posuit pro coniunctivo, etiamsi ex loquentis non scribentis animo illa enuntiari intellegendum est: IV 372/74 Caryandaeus Scylax Medium fluentum inter columnas adserit Tantum patere, quantus aestus Bosporo est, IV 337/39 Euctemon ait, Non plus habere longitudinis modo, Quam porriguntur centum et octo milia, II 177/85 memorat (Panyasis) Amphitryoniaden Hesperidum venisse locos et aurea mala carpsisse, postquam ille serpens occubuit, II 598/600 Quin Meropen alii, postquam Sisypheia vincla Et thalamos saevo sortita est omine divum, Indignam aeria credunt mage sede fuisse.

De enuntiatis condicionalibus.

Exempla quaedam afferre mihi proposui, quibus apparet modos saepe in enuntiatis condicionalibus ab Avieno mutari: II 865/67 Noctis siquis praecepta sequatur, Incassum zephyri volvunt mare: siquis at ista Respuat, incautas percellent flabra carinas, II 936/38 aurea pepli Sidera nocturni si suspectare libebit Nec scindunt medium Phoebeia lumina mensem, II 1724/26 si notus trahit nubes Sive crassus amictus tendatur, II 1535/38 si duo se lunae circumfudere . . . . si trinus constrinxerit ambitus orbem, II 1661/69 si sideribus similis lux duret et illi Taetra sit effigies . . . . Lenior sed si stella cernitur Et procul iuba flagrat aselli . . . . at si lucem

stella senescat, II 1756/58 si suspexeris, si carpit etc. II 1820/30 si agmina volucrum festinant . . . . sed si tum producant agmina nec trepido versent convexa volatu, II 1848/49 si viderit . . . . vel si implent, II 1460/61 si ingreditur . . . . si protendat.

De enuntiatis temporalibus.

Similem modorum aut temporum variationem in enuntiatis temporalibus invenimus: II 1708/9 cum bucula naribus auras Concipit . . . . cum solers formica relinquet, II 1716/20 cum salum repetit Ardea, cum parvae defigunt spicula muscae, Et si concrescant fungi, si emicet ignis aut lucis substantia langueat. (Hoc loco intellegitur coniunctiones „cum" et „si" eandem fere vim habere).

Restat, ut in hac de modis paragrapho de nonnullis coniunctionibus pauca disseram. Coniunctiones igitur „sive – seu", quos apud optimos scriptores indicativus sequi solet, in Avieni carminibus etiam cum coniunctivo copulantur, sive scriptor sententiam in incerto relinquere sive iterationem actionis indicare voluit (cfr. Draeg. II p. 147): II 1546/47 Sive ille occiduas vergat declivis in undas Seu se luciferis reparabilis exerat oris. seu quod – seu quod III 210/13 gemit amplo murmure pontus, Seu quod collisas Thetis indignata per arces Saeviat obiectis; seu quod brevis exitus undas Exerat, et strictis eructet faucibus aequor.

Posteriorum scriptorum inprimisque Taciti usum imitatus „donec" coniunctionem statum, non actionem praetereuntem significantem cum coniunctivo praesentis coniungit: (cfr. Draeg. II 613): II 498/501 strepit haec placido susurro . . . . Ascraeas donec gurgite valles vivificet, II 872/73 His signis austri raptabunt flabra fluentum, Donec de boreae rutilum iubar emicet axe, cfr. II 716, 1241, 1505, III 1042/43 Et procul Hesperium curvatur limes in axem, Donec piniferas Casii prorepat ad arces, III 36/37 Terrarumque trium modus est mare, donec in alti Ora

procul Nili late Thetis efflua serpat, cfr. III 158/59, 168/69, 434, 507/8, 767 etc.

Cum coniunctivo imperfecti coniunctum semel „donec" coniunctio occurrit: II 790/92 Astra vorax ignis, flammae sola cuncta coquebant, Donec fata sui miseratus Juppiter orbis Redderet aetherii Phoebo moderamina cursus.

„Quamquam" coniunctio factum significans cum coniunctivo semper coniungitur, qui usus apud Vergilium semel, iam saepius apud Horatium et Livium apparet (cfr. Draeg. II 767) II 516/17 in tenui quamquam primordia Phoeben Orbe habeant nulloque decus dea proferat ore, II 1392 quamquam initia protenti requiescant terga profundi, III 345, 1300 sqq., IV 696.

Contra „quamvis" coniunctio indicativum secum habet: III 234 Quamvis vasta sali moles interfluit arces.

Ad exprimendam actionis iterationem saepe Avienus „cum" coniunctionem cum coniunctivo personae tertiae coniungit, quod dicendi genus aetate Latinitatis argenteae saepe occurrit. (cfr. Draeg. II 574. Lat. Gram. von Stolz u. Schmalz 396 § 311): II 321/22 Cum cedente die Phoebus sub nocte propinqua Occiduus pronos urgeret in aequora currus, II 1378/80 quom longum facili rate curreret aequor, Et quom ruris amans telluri farra parenti Crederet, II 1338/39 pleni cum rursus egena Oris eat. — Addo Avienum coniunctivum perfecti eodem modo adhibuisse. (cfr. Draeg. II p. 574 et 575 II 1269/71 subit ista salum, subit aequora rursum, Integer Oceani cum se Centaurus in undas Iecerit adque novo vibrarint sidere pisces II 1737/38 Hoc, cum concretus tenuari coeperit aer, Discutit impositae late sibi molis amictum, IV 294/95 Magisque in auras eminus lucem evomit, Cum sol ab igni celsa perculerit iuga.

In enuntiato proportionali semel coniunctivus interativus statuendus est: III 50/51 pelagi sed nomina mille, Aequor ut innumeris terrarum admoverit oris.

